R:

IOVI TONANS

IOVITONANS

IOVI TONANS

R:

IOVI TONANTI.

OFFICIA PROPRIA

SANCTORUM

OVETENSIS ECCLESIÆ, ET DIŒCESIS.

OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
OVETENSIS ECCLESIÆ, ET DIŒCESIS,
AUCTORITATE APOSTOLICA
APPROBATA,
AD OFFICII NOVI FORMAM REDACTA.

Novíssimè Illustríssimi Dómini Dómini Augustíni Gonzalez Pisador, ejúsdem Ecclésiæ & Diœcêsis Epíscopi jussu ad fidem antíqui Breviárii Oveténsis (impréssi anno Dómini M.D.L.VI.) in uno álterovè loco, ubi non nihil discrepábant, restitûta, édita, aucta, & illustrâta. Ubi étiam notántur dies assignáti Festis in perpétuum à suis locis amótis.



ANNO MDCCLXXXVI.

MATRITI : APUD *BENEDICTUM CANO* TYPOGRAPHUM.

Nos D. Joseph García Herreros, Caballero de la Real y distinguida Órden de Cárlos III., Dignidad y Canónigo de la Santa Iglesia Metropolitana de Valencia, del Consejo de S. M., Comisario Apostólico General de la Santa Cruzada, y demas gracias en todos sus Reynos y Señoríos, y Juez Privativo Apostólico y Real para todo lo tocante al nuevo Rezado, su impresion, tasa y distribucion.

Mediante que con permiso nuestro y del Padre Administrador del mismo nuevo Rezado que reside en esta Corte, se ha impreso por Benito Cano, impresor en ella, de consentimiento de la Real Compañía de Impresores y Libreros, el Quaderno de Santos propios para la Santa Iglesia y Obispado de Oviedo, y que de nuestra órden se ha corregido y comprobado con el que ha servido de original por el P. Fr. Eugenio de Cevallos, del Órden de S. Agustin, uno de los correctores nombrados: concedemos licencia á D. Gonzalo de Llano Flores, Canónigo y Administrador de la Fábrica de dicha Santa Iglesia, para que pueda distribuir y vender cada exemplar de los un mil y quinientos que se han impreso, á precio de ciento sesenta y quatro maravedis en papel y no mas. Y prevenimos y mandamos se estampe al principio de

cada uno esta nuestra licencia, y separadamente la dada por el Prelado Diocesano en lo correspondiente á su intervencion, para que siempre conste; y tambien mandamos, que ningun Impresor, Librero, ni otra persona alguna pueda imprimirlo, reimprimirlo ni venderlo sin expreso permiso nuestro por escrito, pena de perdimiento de la impresion ó reimpresion, y de doscientos ducados de multa, que se les exîgirán irremisiblemente haciendo lo contrario, aplicados por mitad al Real Monasterio de S. Lorenzo del Escorial, y santos fines de Cruzada. Dada en Madrid á trece de Noviembre de mil setecientos ochenta y seis.

D. Joseph García Herreros.

Por mandado de su S.
Antonio de Quadra.

D.

D. AUGUSTINUS GONZALEZ PISADOR DEI, et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Ovetensis, Comes de Noreña, Prælatus Domesticus S. S. et Assistens sacro Pontificio solio Regiusque Consiliarius, &c.

Ea nunc est indigentia Codicum, quibus officia propria Sanctorum Ovetensis Ecclesiæ, jam pridem ab Apostolica authoritate approbata, continentur, ut post diversas diversis temporibus factas eorum edictiones vix suppetunt ulli ad Horas Canonicas recitandas. Id ipsum præ oculis habentes nostræ almæ Cathedralis Ecclesiæ, Venerabiles fratres Decanus et Capitulum, simulque intuentes in anterioribus impressionibus sensim aliqua vitia irrepsisse, enixè à nobis postularunt, ut quandoquidem huic malo occurrere volebant, veniam nostram consensumque impartiremur, quo possent officia, quæ reformata præsentabant, denuo typis mandari, in lucemque prodire. Nos ergo, in hoc unum semper intenti ut pro viribus promoveamus quidquid nostræ Diœcesis utilitatem præ se fert, Codicem manuscriptum nobis exhibitum sedulo, prout oportebat, inspeximus, doctisque Ecclesiasticis viris eadem mente commendavimus. Hi equidem studiosa facta discussione, collectionequè, nobis retulerunt, in exemplari nuper eformato mutatas esse Antiphonas laudum in festo Descensionis Beatæ Mariæ Virginis: Festivitas namque hæc celebratur in die vigesima quarta Januarii: cui tempori minimè congruunt Antiphonæ *Dum esset, et reliquæ*, usque ad præsens, recitatæ; sed Antiphonæ *O admirabile commercium* cum ceteris de officio parvo, à Nativitate usque ad Purificationem, hodie positæ. Ad hæc, in volumine novo non inveniuntur plura officia Sanctorum in veteri habita, sicut neque lectiones quarumdam Octavarum, his de causis: vel quia in recentioribus Breviariis Romanis continentur; vel quia propter concurrentiam aliarum

rum festivitatum unquam locum habere queunt. Additæ huic Codici sunt commemorationes communes, pro nostra Ecclesia Ovetensi; Homilia in Evangelium *Nolite arbitrari*: Verba quæ Benedictus XIII. jussit aponi ad calcem sextæ lectionis, in festo Dedicationis Basilicæ Salvatoris in die nona Novembris; Officium Beatæ Mariæ Virginis de Guadalupe Mexicanæ: Item Sancti Eliæ Prophetæ, cujus preces ab Apostolica sunt Sede approbatæ, quin etiam, assignata dies festivitatis, pro tota nostra Diœcesi, speciali Summi Pontificis indulto, in vigesima septima Februarii: Denique adscripti sunt dies celebrationi Sanctorum, in perpetuum à suis locis amotorum. His ita peractis, simul ac à peritissimis illis Ecclesiasticis viris intelleximus, Codicem novissimè correctum in omnibus aliis suis originalibus convenire, præsertim antiquo Ovetensi Breviario anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto in lucem edito, piissimis nostrorum Decani et Capituli votis accedentes, non immorati fuimus nostram licentiam concedere, sicut in effectu per has litteras, quoad nos spectat, præstamus, ut prædicta Sanctorum officia rursus imprimi et publicari in nostro Episcopatu valeant. Datum in Villa de Benavente Vicariæ Sancti Æmiliani nostræ Diœcesis, in die nona mensis Decembris, anno Domini millesimo septingentesimo octogesimo quinto. Inter lineas *votis*. Valeat.

Augustinus Episcopus Ovetensis.

De mandatu Illmi. Domini mei Episcopi.

Doct. D. Michael Bernardus Meana.

Secretarius.

GRE-

GREGORIUS

PAPA XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Pastorâlis offícii cura nos ádmonet, ut ea quæ magis condúcere censêmus, pro locórum & personârum qualitâte concedâmus. Sanè licèt aliàs post Missâlis & Breviárii ex Decréto sacri Concílii Tridentíni editiônem fel. rec. Pius V. Prædecéssor noster, diléđti nobis fílii Ludovíci de Torres Malacitáni, & Cámeræ Apostólicæ Clérici, qui tunc ex Hispaniârum Regnis, ad quæ ab eôdem Prædecessôre pro certis grávibus negótiis ad Rempúblicam Christiânam spectántibus missus fúerat, Romam redíerat, relatiône audíta, multas scílicèt, ut ipse Ludovîcus à viris gravíssimis ad hunc effé&tum à Caríssimo Fílio nostro Philíppo Hispaniârum Rege Cathólico deputátis accéperat, ex hujúsmodi editiône subórtas fuísse in illis pártibus difficultátes, ad eas tolléndas nonnúlla quoad Hispaniârum Regna prædícta, dúxerit reformánda, & concedénda; Nihilóminus, quia, ut idem Ludovîcus nobis rétulit, re ipsa compértum est, adhùc áliqua ad Missâlis & Breviárii Impressiônem, quæ in illa Província magnis impénsis curántur, desiderári: Nos ejus dictis certam adhibéntes fidem, ad omnem scrúpulum dimovéndum, motu próprio, & ex certâ sciéntiâ nostrâ, ac de Apostólicæ potestâtis plenitúdine, hæc quæ sequúntur, declaránda dúximus & concedénda. In primis illud nobis declarándum se offert, ex quo magna póterat oriri confúsio. Cùm enim Prædecéssor noster prædíctus indistínctè concésserit, ut Ecclésiæ Hispániæ possint celebrâre Offícia própria Sanctôrum illîus Provínciæ, illîque plures sint número: ex hoc sequebâtur, ut Officium majôris partis Feriârum anni omitterêtur, & ordo Breviárii ferè subverterêtur. Nos huic incómmodo occúrrere voléntes, & Prædecessôris prædícti mentem sano modo interpretántes, declarâmus unamquámque Hispániæ Ecclésiam eôrum tantùm Sanctôrum, qui in Breviário non sunt descrípti, Officia própria celebrâre posse,

se, qui vel illîus Diœcêsis sunt naturáles, vel ejus Ecclésiæ, seu Diœcêsis sunt Patróni, vel eôrum córpora seu notábiles Relíquiæ in ea Ecclésia seu Diœcési requiéscunt. De áliis verò Sanctis, étiam si sint naturáles, vel Patróni altérius Diœcêsis, etiám si illôrum córpora, vel notábiles Relíquiæ in áliqua Ecclésia altérius Diœcêsis requiéscant; non celebrêtur Offícium próprium, sed servêtur ordo Breviárii Románi. Et quo die celebrábitur festívitas Patróni unîus Diœcêsis, Religiónes omnes teneántur eôdem die in suis Ecclésiis, intra límites illîus Diœcêsis existéntibus, eámdem festivitâtem celebrâre, & in hoc cum Ecclésia Matrîce se confórment. Item vólumus, quòd festivitátes sequéntes sint in tota Hispánia generáles: ita quòd omnes Ecclésiæ & Religiónes existéntes in illa Província récitent de illis, & célebrent própria illôrum Officia, quæ sunt festívitas Exspectatiônis Dóminæ nostræ, quæ celebrâtur die XVIII. mensis Decémbris. Et quóniam dicta die juxta Breviárium Românum Féria habet Antíphonas próprias ad Laudes, ne Antíphonæ prædíctæ omittántur, & ut festívè síngulis annis in illa Província decanténtur: Mandâmus, quòd dictæ Antíphonæ feriáles, quæ in die, in qua Officium Exspectatiônis celebrâtur, dicéndæ essent, reponántur die XVI. Decémbris, omíssâ eâ quæ ad Cánticum dícitur, cujus loco dicâtur ea quæ ad Cánticum pónitur in Psaltério: Et idem fiat de Antíphonis in die Sancti Thomæ occurréntibus, reponéndis in Sábbato, quando Festum Exspectatiônis hujúsmodi in Sábbato vénerit, ut scílicèt Antíphonæ in die Sancti Thomæ occurréntes, tunc reponantur XVI. Decémbris, demptâ eâ quæ dícitur ad Cánticum, ut suprà. Item festívitas Triúmphi sanctæ Crucis, quæ celebrâtur die XVI. Július. Item festívitas sancti Ildephónsi Archiepíscopi Toletáni, Confessôris. Item festívitas sancti Isidóri Archiepíscopi Hispalénsis, pro quo celebrêtur Officium Doctôris, & recitêtur Credo in celebratiône Missæ. Insuper celebrêtur festívitas sanctæ Annæ matris Beátæ Maríæ Vírginis in ómnibus locis ubi fúerit Ecclésia vel Capélla dictæ Sanctæ ad præsens, vel ubi ædificábitur Ecclésia in futûrum. Item concédimus, quòd quælibet Ecclésia & Monastérium Hispániæ, ha-

habens áliquas Relíquias insígnes, putà caput, bráchium, vel crus alicújus Sancti, étiam alienígenæ, non existéntis in Breviário, vel de quo in dicto Breviário fit tantùm commemorátio, possit illîus festivitâtem celebrâre, & Offícium Duplex fácere, & de álio Sancto eôdem die occurrénti, si fúerit Simplex, fiat commemorátio; si verò fúerit Duplex, vel Semidúplex, transferâtur in primam diem símili festo non impedîtam. Et quóniam in Regno Castéllæ in plúribus Ecclésiis celebrâtur die xxx. Decémbris Translátio sancti Jacóbi Apóstoli Hispaniârum Patróni, præcípuum Duplex, & in Breviário pónitur in die xxix. festívitas sancti Thomæ Archiepíscopi Cantuariénsis & Mártyris, Semidúplex, & in anno, quo festívitas sancti Thomæ occúrrit in Domínica, juxta régulam Breviárii transfértur in diem sequéntem; quo die in eo Regno celebrâtur supradícta festívitas sancti Jacóbi, postéaque per plures dies non venit áliqua dies vácua, in qua possit celebrári festívitas prædícti sancti Thomæ; vólumus, ut in eo anno festum ipsum sancti Thomæ transferâtur ad primam diem Dúplici non impedîtam, quæ erit Vigília Epiphaníæ, & tunc de Vigília fiat tantùm commemorátio; ad Vésperas autem Epiphaníæ nulla fiat commemorátio de festo sancti Thomæ prædícti. Cùm verò in Ecclésiis & Regiónibus Hispániæ vígeat consuetûdo, quòd diêbus Paschálibus & Festivitátibus majóribus célebret Missam Conventuâlem Antístes, vel ália Persôna principâlis, & régula Missâlis órdinet, quòd ómnibus diêbus Domínicis infra annum Sacérdos, qui celebráverit Missam Conventuâlem, éxeat ante celebratiônem Missæ, cum pluviáli vel cappa, & cum Minístris ad incipiéndum in Altári majóri Antíphonam Aspérges, & aspergéndum aquam benedíctam pópulo: Concédimus, quòd Antístes, seu ália Persôna principâlis célebrans Missam Conventuâlem, præmíssa fácere non teneâtur, sed illa fácere possit quílibet álius simplex Sacérdos ejus loco: & quòd talis Sacérdos non déferat pluviâle, sed albam & stolam, vel superpellíceum & stolam, nec procêdat associâtus cum Minístris, sed solùm cum Acólythis. Hæc autem ómnia & síngula, Breviárium & Missâle concernéntia, per fel. record.

Pium

Pium. V. & Nos concéssa pro Hispaniârum Provínciis, vólumus, ut intelligántur étiam concéssa Ecclésiis Insulârum, & Terræ Firmæ Indiârum dicto Regi Cathólico subjectârum. Et ínsuper statúimus, quòd Missæ Sanctôrum, quæ juxta Motum próprium dicti Pii V. in Missáli Románo in Hispániis imprimendo possunt ímprimi, non in córpore, sed in fine dicti Missâlis imprimántur. Et ita per præséntes Apostólica auctoritâte declarâmus, statúimus, concédimus & indulgêmus; Non obstántibus præmissis, & Lítteris Prædecessôris prædícti in Breviário & Missáli, ac Régulis sub Rúbricis generálibus cum ipsísmet Breviáriis & Missálibus impréssis; necnon ómnibus & síngulis in eis conténtis prohibitiónibus, cláusulis, derogatiónibus & decrétis. Quæ ómnia Nos ad effectum præséntium in dictis Provínciis locum sibi non vendicâre decérnimus, ac áliis quæ dictus Prædecéssor in suis Lítteris obstâre non vóluit, ceterísque contráriis quibuscúmque. Ut autem præséntes Lítteræ ómnibus innotéscant, vólumus, & distríctè præcipiéndo, ómnibus & síngulis librôrum impressóribus in pártibus illis consisténtibus mandâmus, ut illas in cujúslibet Missâlis & Breviárii princípio ímprimant, & ímprimi curent; áliàs illis non appósitis & impréssis, præséntes némini sufragéntur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatôris die XXX. Decémbris M.D.LXXIII. Pontificâtus nostri anno primo.

Cæsar Gloriérius.

Di-

Dídacus Aponte de Quiñones, Deì & Apostólicæ Sedis grátia Epíscopus Oveténsis, Comes de Noreña, Regiúsque Consiliárius, &c. Cùm ex parte dilectôrum nobis in Christo fratrum nostrôrum Decáni, & Capítuli nostræ Cathedrâlis Ecclésiæ, & Cleri nostræ Diœcêsis à nobis peterêtur, ut juxta concessiônem fel. rec. Gregórii XIII. Pontíf. Máx. in Bulla Breviáro Románo appósita, conténtam, & censûram seu decrêtum Reverendissimôrum Cardinálium sacri Concílii Tridentíni Intérpretum, & nostra facultâte ordinária qua fúngimur uténtes, Officia própria Sanctôrum, quorum sacra córpora, & innumerábiles relíquiæ in eâdem nostra Cathedráli Ecclésia, & in hac civitâte Oveténsi habéntur, ederêmus; quo Deo laudes débitas reférre, & Divînum Canónicum Officium noctúrnum & diúrnum in honôrem prædictôrum Sanctôrum celebrâre possent: Nos considerántes eôrum desidérium esse pium, & petitiônem justam, & ut in nostro essêmus officio, id quod petebâtur concéssimus, & Offícia própria prædictôrum Sanctôrum in hoc libéllo conténta edídimus, & præfáta auctoritâte approbâmus, & juxta formam ínibì conténtam, ab univérso Clero prædíctæ nostræ Ecclésiæ & Diœcêsis públicè & privâtim celebránda fore statúimus, decérnimus, & in virtûte sanctæ Obediéntiæ præcípimus & mandâmus. Dat. Ovéti XIII. die Júlii anno Dómini M.D.XCVI.

D. Epísc. Oveténs. & Comes.

Mandáto Reverendíss. D. meì Epísc. Cómitis.

Christóphorus è Santillana,

Canónic. Oveténs. Secretár.

Beatíssime Pater, Cùm devôta creatûra vestra D. Dídacus Aponte de Quiñones, Epíscopus Oveténsis mandâret Alfónsum Garcîam de Nompárte suum Procuratôrem Præbendâtum in ista Sancta Ecclésia ad visitándum límina Apostolôrum: illi étiam mandâvit & impósuit, ut sciôrem rédderet Beatitúdinem vestram de alíquibus necessitátibus istîus Diœcêsis indigéntibus declaratiône Sanctitâtis vestræ: cui supplicâtur illas declarári mandet secúndùm formam Capitulôrum infrascriptôrum.

Epíscopus cum toto Clero súpplicat Sanctitáti vestræ, ut possint celebrâre particulâre Officium cum própriis históriis ipsôrum Sanctôrum, in diêbus, quibus eôrum festivitátes celebrántur.

Respónsio Illustriss. Cardin. Concilii Tridentini Intérpretum.

Illustríss. & Reverendíss. Dómine, uti frater; idem Amplitúdinis tuæ Procurâtor, qui Sanctôrum Apostolôrum límina visitâvit, nonnúlla étiam ejúsdem Amplitúdinis tuæ nómine per libéllum his Lítteris adjúnctum apud Sacram Congregatiônem Cardinálium Tridentíni Concílii decrêta interpretántium postulâvit. Patres verò cum de iis quæ undécimo loco postulántur, respondérunt. Quam verò Amplitûdo tua petit facultâtem própria Sanctôrum Officia celebrándi, ea sanè uti póterit ad præscríptum Constitutiônis, quam ea de re fel. rec. Gregórius XIII. édidit. Quod réliquum est, Deum precâmur, ut Amplitúdinem tuam incólumem, & divínæ grátiæ ópibus cumulâtam velit. Romæ XXV. die Július, Anno M.D.XC. uti Frater Hierónymus Cardinâlis Matthæius. = E yo Christóbal Gutierrez de Santillana, Canónigo de Oviedo, y Notario Apóstolico aprobado, y Secretario del Reverendís. Don Diego Aponte de Quiñones, Obispo de Oviedo, mi Señor, doy fe, que estas cláusulas de suso escritas de mi letra, concuerdan con sus originales, que quedan en el Archivo Episcopal de su Señoría, y que la Carta donde el dicho Decreto venia, dice en su

su sobreescrito : Illústri, & Reverendíss. Dómino uti fratri Dómini Episcopo Ovetensi. La qual venia, y está sellada con el Sello del Señor Cardenal Matheio, al parecer. Y para que de todo lo susodicho conste, dí esta firmada de mi nombre, y signada con mi sígno, de mandado del Obispo de Oviedo, mi Señor, que aquí firmó su nombre, interponiendo á esta fe su autoridad. En Oviedo á diez y nueve dias del mes de Julio de mil quinientos y noventa y cinco años. Siendo presente á lo ver cotejar Juan de Pórres de la Peña, Diego de Monterroso, y Juan de Quiñones, Familiares de su Señoría, á quien yo el dicho Notario, doy fe, conozco.

D. Epísc. Oveténs. & Comes.

En Testimonio de verdad

Christóbal Gutierrez de Santillana,

Notario.

Nos

Nos Licenciât. D. Andréas del Campillo, & Cedron, Almæ Ecclésiæ hujus Civitâtis Oveténsis Canónicus, ejúsque Diœcêsis Gubernâtor, Provîsor, & in spirituálibus, ac temporálibus Officiâlis, & Vicárius Generâlis, pro Illustríss. D.D. Josépho Fernandez à Toro, Dei & Apostólicæ Sedis grátia Epíscopo Oveténsi, Noréñæ Cómite, Regiôque Consiliário, &c. Cùm Offícia própria Sanctôrum supradíctæ Ecclésiæ Oveténsis, olim Apostólica auctoritâte approbâta, & ab Illustríss. D. D. Dídaco Aponte de Quiñones, ejúsdem Ecclésiæ Epíscopo édita, atque Matríti apud Joánnem Flandrum anno Dómini millésimo quingentésimo nonagésimo sexto, Superiôrum permíssu excûsa, íterum fuíssent impréssa Vallis Oléti in Typográphia Convéntus S. Pauli cum débitis licéntiis, decurrénte anno Dómini millésimo sexcentésimo quadragésimo primo, Illustríss. D. D. Antónii de Valdes ejúsdem étiam Ecclésiæ Epíscopi jussu, tandiûque decúrsu témporis consúmpta sint, ut Codex párvulus in quo circumferúntur, vix ad præsens inveníri queat ad Divînum Officium persolvéndum; V. D. D. Decânus, & Capítulum ipsiúsmet Ecclésiæ pro sui existéntis Præláti abséntia huic incómmodo occúrrere cupiéntes præfâta Offícia, & eôrum Missas próprias de novo excúdi recensuérunt, dictîque Códicis corrécti deféctibus, quos ex secúnda impressiône patiebâtur, detráctis diêrum infraoctavârum Officiis, quæ supérsunt pro divérsis occurréntiis, quæ ex Breviário áccidunt, & appósitis pro eis, & aliôrum festôrum concurréntia quibúsdam notis, propriôque novo Officio Sanctæ Euláliæ Emeriténsis Vírginis & Mártyris, Patrónæ hujus Diœcêsis, ad Hispániam étiam exténso loco ejus, quod ex commúni ánteà utebâtur, insérto quod nunc habêtur ejus translatiônis exémplar exposuérunt, ut illud typis dari juberêmus, cum aliôrum Sanctôrum Hispániæ Officiis, quæ pro majóri recitántium commoditâte addúntur: Ut autem fúimus legítimè informáti à Doctis viris, qui rem omnem conspexérunt, & diligénti facta collatiône cognóvimus dictum exémplar suis originálibus, & concessióni Missârum, convenísse, ésseque dispósitum juxta ritum ac formam Breviá-

rii

rii & Missâlis Románi, & útile, ut commódiùs quis satisfáciat præcépto Officiôrum dictæ Ecclésiæ: illud approbávimus, & per præséntes approbâmus, evulgandîque licéntiam concédimus; decernéntes quoad nos áttinet, ut addántur præfâta Sanctôrum Hispániæ Offícia ad instar propriôrum dictæ Ecclésiæ, præcipiéntes, ut sancîtum, & in prætéritis editiónibus præcéptum est. In quorum fidem & testimónium præséntes lítteras nostris nómine manûque subscríptas, dicti Illustríss. D. Epíscopi sigíllo munítas, ac per suæ Cámeræ Secretárium refrendátas, expedíri jússimus. Ovéti XVII. mensis Novémbris. Anni M.D.CC.XIV.

Licenciât. D. Andréas del Campíllo

& Cedron.

Dómini Gubernatôris, & Vicárii Generâlis mandáto.

D. Míchaël Joánnes à Cifuentes.

Secretárius.

DE-

DECRETUM

Pro Festo principáli Sanctæ Euláliæ Emeriténsis, Virginis & Mártyris, & pro ejúsdem Translatiône.

Sacrôrum Rítuum Congregátio inhæréndo concessióni extensiônis Offícii Sanctæ Eulaliæ Emeriténsis, Vírginis & Mártyris nuper factæ sub die xx. Januárii MDCXCI. ad preces Sereníssimi Regis Cathólici per Excellentíssimum Dóminum Marchiônem de Cogolludo, ejus Oratôrem, sanæ memóriæ Alexándro VIII. porréctas, & ad eándem Sacram Congregatiônem remíssas, cénsuit, referénte Eminentíssimo, & Reverendíssimo D. Cardináli Casanate, prædíctum Offícium de Commúni Vírgin. & Mártyr. in die Natâlis ipsíus Sanctæ x. nempe Decémbris, síngulis annis in pósterum recitári posse sub ritu dúplici de præcépto in Regnis Hispaniârum dumtáxat, eîdem Regi Cathólico subjéctis, ab ómnibus tàm sæculáribus, quàm Reguláribus utriúsque sexus, qui ad horas Canónicas tenéntur, cum Hymnis, Antíphonis, Responsóriis, ac Lectiónibus própriis secúndi Noctúrni, quæ recitántur in die Translatiônis ejúsdem Sanctæ, áliàs approbátis, & pro Civitâte, & Diœcési Oveténsi sub die XXXI. Augústi MDCLXIX. respectîvè concéssit, si Sanctíssimo Dómino nostro placúerit. Die XI. Augústi MDCXCI.

Facta ígitur de præmíssis Santíssimo Dómino nostro Innocéntio Papæ XII. íterum per me Secretárium relatiône, Sánctitas sua ánnuit, sensum Sacræ Congregatiônis approbâvit, ac Decrêtum expedíri mandâvit. Die XV. ejúsdem mensis Augústi, & anni MDCXCI.

A Card. Cybo.

Loco ✠ Sigílli. J. Vallemânus, Sac. Rit. Congregat.

Secret.

Le-

Lectiónes, & oratiônem suprascríptas próprias de Sancta Eulália Emeritensi, Virgine, ab Eminentíssimo, & Reverendíssimo Dómino Cardináli Casanâte revísas, corréctas, & in Sacrôrum Rítuum Congregatiône relátas, eádem Sacra Congregátio approbâvit; eásque in secúndo Noctúrno x. Decémbris, die festo Natâlis ejúsdem Sanctæ, cum officio de commúni Vírginum & Mártyrum, cum Hymnis verò, Responsóriis, & Antíphonis páritèr própriis, áliàs approbátis, & sub die xi. Augústi anni próximè prætériti, recitári concéssis, ab univérso Clero tàm sæculári, quàm Regulári utriúsque sexus Regnôrum Hispaniârum, Regi Cathólico subjectôrum dumtáxat, recitari posse cénsuit, ac imprimi. Si Sanctíssimo Dómino nostro placúerit. Die ix. Februárii M.DC.XCII.

Facta de prædíctis Sanctíssimo Dómino nostro Innocéntio Papæ XII. per me Secretárium relatiône: Sánctitas sua ánnuit. Die xxvii. ejúsdem mensis Februárii, & anni M.DC.XCII.

A Card. Cybo.

Loco ✠ Sigilli. J. Vallemânus. Sac. Rit. Congreg.

Secret.

DE-

DECRETUM

Pro Festo Sancti Eliæ.

Officium Patriárchæ Sancti Eliæ recitándum à Sacerdótibus Sæculáribus in Diœcési Oveténsi sub ritu dúplicis minôris die XXVXI. Februárii, ex Indúltu Apóstólico VI. Aprîlis MDCCLXXI. ad preces sui Epíscopi Illustrissimi D. D. Augustíni Gonzalez Pisador; & notâtur: Qui Officiumpróprium ad manus non habent, recitábunt de commúni Confessôris non Pontíficis, & Evang. ut in die Transfiguratiônis, & Missa: Os justi, cum Epíst. ejúsd. Missæ.

OF-

Officia própria Sanctôrum hujus almæ Ecclésiæ, & Diœcêsis Oveténsis, prout in hoc Códice novíssimè corrécto, à quibúsdam mendis, quibus scatêbat, purgáto continéntur, de mandáto Illustriss. D.D. Augustíni Gonzalez Pisador, ipsîus Epíscopi, & Venerâb. Decáni & Capítuli ejúsdem æquè Ecclésiæ, per me Doct. D. Bernardînum Antónium de Sierra, & Quiñones Canónicum, Archidiáconum de Tineo, Sacrarúmque Cæremoniárum Designatôrem visa, ac diligénti cura discússa, Breviário antiquo Oveténsi (imprésso anno Dómini M.D.LVI.), órdini Rubricârum, Constitutiónibus Pontifíciis, necnon Sac. Rit. Congregatiônis decrétis adhærêre invéni: Ideôque à me approbâta, sanè typis dari cénsui. Datum Ovéti, sexto Idus Octóbris, anno Dómini millésimo septingentésimo octogésimo quinto.

Doct. Dóminus Bernárdus Antónius à Sierra

& Quiñones.

Cær. Desig.

PONUNTUR ALIQUA NOTATU digna.

1 De Festis própriis hujus Almæ Ecclésiæ Oveténsis, tàm sanctârum reliquiârum, quæ habuérunt contáctum physicum cum Christo Dómino, quàm Sanctôrum, quorum corpóribus (divína miseratiône) ditâta est, & eôrum Officia sunt approbâta à S. Sede: ágitur in tota Diœcési in diêbus impedítis áliis festivitátibus minôris, aut æquâlis dignitâtis, vel ritus, quæ propter hoc sunt in perpétuum amótæ à suis locis: Et multa quæ pro Hispánia sunt concéssa, celebrántur in diêbus simíliter impedítis cum Festis aliôrum regnôrum, quæ debent illis cédere locum, & amovéri: Quod accidêbat in áliis SS. Ecclésiis, & Diœcésibus tàm intra, quàm extra hoc regnum, de quibus áliquæ occurrérunt ad S. R. C. peténtes assignatiônem fixam & perpétuam dictis festis amótis: Et post várias resolutiónes particuláres, decrêvit S. R. C. quòd dicta festa non comprehendúntur in Rúbrica X.ª de Translatiône, & ídeò debent poni in perpétuum, & occupâre primam diem non impedîtam tanquam própriam. Ex vi hujus decréti assignátæ fuérunt pro eôrum celebratiône in hac Diœcési dies, quæ notántur in hoc Códice. Distingúntur in Kalendário cum hac voce: *Dies in Breviário*, talis; & in purè translátis pónitur: *Fuit.*

2 Sit régula generâlis, quòd quando in Domínica fit de áliquo festo, semper dícitur nona léctio de Homilía Domínicæ, cum commemoratiône in utrísque Vésperis, Láudibus, & Missa, & in hac Credo, & Evangélium últimum Domínicæ, sed in secúndis Vésperis omíttitur com. si in die sequénti fit de Festo 1. aut 2. classis: nec hæc régula tenet, quando Domínica vacat. Símilitèr in Quadragésima, Vigíliis (extra illam & Advéntum), Fériis Quátuor Témporum, secúnda, & quarta Rogatiônum, si fit de festo, dicêtur nona léctio de Homília, cum com. in Láudibus, & Missa, & in hac étiam últimum Evangélium. Quod sic notâtur in commúni, ad evitándam prolixitâtem quæ orirêtur ex repetitiône in quólibet festo.

To-

3 Tota Octâva Sanctíssimi Córporis Christi est novíssimè privilegiâta, ita ut in illa non possit fíeri de festo áliquo étiam primæ classis: Ideôque si occúrrant Festa S. Joánnis Baptístæ, & Ss. Apostolôrum Petri & Pauli, transferúntur post Octâvam, sed non jejúnium in Vigíliis de quibus fit commemor. (cum 9. lectiône) in Láudibus & Missa (in própriis diêbus eârum) cum último Evangélio; sed si in Vigília Sancti Joánnis cecíderit festum Sanctissimi Córporis Christi, tunc anticipâtur jejúnium in Féria 4. & in Officio, & Missa, nihil fit de ipsa; nec transfértur præcéptum observándi ea. De S. Joánne, dum transfértur, fit in prima die post Octâvam Sanctíssimi, nisi in ipsa occúrrat festum 1. classis, quia tunc erit in sequénti.

4 De Festis Simplícibus occurréntibus in Domínicis quando fit de eis, & habent Te Deum laudâmus, dicêtur nona léctio ex una, aut duâbus, si tenent (ceterum non quando sunt de commúni) & commem. in 1. Vésperis, Láudibus, & Missa. In Festis 1. classis nihil de illis: sed si sunt 2. classis, 9. léctio, & commem. in Láudibus, & Missa (non in solémni) & nihil in 1. Vésperis. In Quadragésima usque ad Domínicam in Albis exclusivè, in tota Octáva Pentecóstes, & Sanctissimi Córporis Christi, & in Advéntu, non dícitur 9. léctio de Simplícibus, sed fit tantum commem. In Vigília Pentecóstes, si occurrat Simplex, dicêtur de eo nona léctio, & commem. in Láudibus, sed non in Missa.

5 Quando post Epiphanîam ante Septuagésimam súperest áliqua Domínica, quæ pósteà non habet locum ante Advéntum, si in Hebdómada ante Septuagésimam fit in áliqua die de Féria, tunc Lectiónes erunt de Homilía illîus Domínicæ, ℟. ℟. de Féria, & ℣. Aña. ad Benedíctus, Orátio in Láudibus, & horis, & Missa de Domínica; sin autem, in Sábbato in Festo occurrénti Lectiónes 1. Noctúrni erunt de illa Domínica, & nona léctio Homilíæ, commem. in Láudibus (Antíph. & Orátio de Domínica ℣. de Psaltério) & Missa, Evangélium últimum Domínicæ. Excipitur Domínica secúnda, si in ea occúrrat Septuagésima, quia tunc si non datur Féria in Hebdómada, transfértur fe-

festum semidup. v. g. S. Hilárii, & in ea die fit sicut suprà notâtum est. Si post Pentecósten sunt solum vigínti tres Domínicæ, tunc de vigésima tértia fiet eôdem modo, quo notâtur pro illa, quæ súperest ante Septuagésimam.

6 In ómnibus Domínicis per annum extra tempus Quadragésimæ, Passiônis, Paschâle, Festa, & Octávas quæ habent Præfatiônem própriam, & à Nativitâte Dómini usque ad Octâvam Epiphaníæ inclusívè, debet dici in Missa, étiam de festo occurrénte, Præfátio Sanctíssimæ Trinitâtis.

INDEX FESTORUM,

quæ in hoc Códice continéntur, de quibus ut própriis ágitur in hac Diœcési Oveténsi.

In Januario.

9............Ss. Eulógii, & Lucrétiæ Mártyrum, *dup.*
24.........Descensiônis B.M.V. *dup. 2. classis.*

In Februario.

27.........S. Elíæ Prophétæ, *dup.*

In Martio.

1............S. Angeli Custôdis, *dup. majus.*

8............Ss. Julliáni, & Serráni Pontíficum, & Confessôrum, *dup.*
13.........Ss. Reliquiârum Oveténsium, *dup.* 1. *classis.*
18.........S. Gabriêlis Archángeli, *dup. majus.*

In Majo.

4............Corónæ Dómini, *dup. majus.*
12.........Octávæ S. Isidóri Agrícolæ, *dup.*

In Junio.

15.........Festum B. M. V. de Guadalûpe Mexicánæ, *dup. majus.*
6............S. Pelágii M. *dup.*

In Augusto.

6............Transfiguratiônis D. N. J. C. Titulâris Ecclésiæ Oveténsis, *dup.* 1. *classis cum Octáva.*
13.........Octávæ Transfiguratiônis, *dup. ut majus.*

In Septembri.

7............Translatiônis S. Euláliæ Emeriténsis V. & M. Patrónæ Diœcêsis, *dup. in tota Diœcési, in Civitâte cum Octáva.*
12.........S. Vincéntii M. *dup.*
14.........Exaltatiônis S. Crucis, *dup.* 1. *clas. cum Octáva in tota Diœcési.*
21.........De Octáva S. Crucis *solum fit commemorátio.*

In

In Octobri.

13.........Festum Dedicatiônis Almæ Ecclésiæ Ovetênsis, *dup.* 1. *classis in tota Diœcési. In Matrîce autem & Civitâte, & ubi non celebrêtur própria Dedicátio, ac ubi fúerit consuetûdo, cum Octáva.*

16.........Fit de Infraoctáva ut in 4. die, *sem.*

20.........Octávæ Dedicatiônis, *dup.*

In Novembri.

Festum Patrocínii B. M. V. *celebrâtur in hac Diœcési in Domínica* 4. *Novémbris, quæ cadit in die* 13. *usque ad* 19. *inclusívè, dup. majus.*

Concéditur Indulgéntia plenária illis, qui ritè confêssi, ac sacra communiône refécti interfúerint Missæ Conventuáli, ibîque oráverint pro pace, & concórdia Príncipum Christianôrum, extirpatiône hæresum, & exaltatiòne S. Matris Ecclésiæ, &c.

In Decembri.

8..........Conceptiônis B. M. V. *dup.* 1. *classis cum Octáva, ut Patrónæ Hispániæ.*

10.........S. Euláliæ Emeriténsis V. & M. Patrónæ Diœcêsis, *dup.* 1. *clas. cum Octâva in tota Diœcési.*

15.........Octávæ Conceptiônis B. M. V. *qua die post* 2. *Vésperas finîtur Octâva* S. Eulâliæ, & *quævis ália Octâva.*

In hac Diœcési Ovеténsi observántur Festa sequéntia.

Sed quia in alíquibus non exténditur observátio, nisi ad solum præcéptum audiéndi Missam, hæc notántur hoc signo †.

In Januario.

Die.

1............Circumcisiônis Dómini.

6............Epiphanîa Dómini.

20....†....SS. Fabiáni, & Sebastiáni, *in Civitâte tantùm, ex voto.*

In Februario.

2............Purificatiônis B. M. V.

24....†....S. Mathiæ Apóstoli. *In anno biséxtili in die* 25.

In Martio.

19....†....S. Joseph; *sed in Civitâte cum plena observántia.*

25.........Annuntiatiônis B. M. V.; *sed si occúrrat in Féria* 6. *in Parascéve, vel in Sábbato Sancto, transfértur cum præcépto audiéndi Missam, & vacándi ab óperibus, ad Fériam* 2. *post Domínicam in Albis.*

Die.

*..........Féria 5. in Cœna Dómini à reclusiône SS. Sacraménti, *úsquequò consúmitur in Parascéve.*

*..........Fêria secúnda post Pascha.

*....†....Féria tértia post Pascha.

In Aprili.

25.........In Festo S. Marci Evangelístæ *observâtur abstinéntia carnis absque jejúnio; sed non si cadit in tota Octáva Paschæ, vel in Domínica.*

*.......... *Eadem abstinêntia observâtur in Féria secúnda, & quarta Rogatiônum.*

In Majo.

1.....†.....SS. Philíppi, & Jacóbi Apostolôrum.

3.....†.....Inventiônis S. Crucis.

15....†....S. Isidóri Agrícolæ.

Die.

Die.

30....†....S. Ferdinándi Regis.
*..........Ascensiônis Dómini.
*..........Féria secúnda Pentecóstes.
*....†....Féria tértia Pentecóstes.
*..........Festum SS. Córporis Christi.

In Junio.

13....†....S. Antónii de Pádua.
24..........S. Joánnis Baptístæ.
29..........SS. Petri & Pauli Apostolôrum.

In Julio.

25..........S. Jacóbi Apóstoli.
26....†....S. Annæ Matris B. M. V.

In Augusto.

6..........In Civitâte, Transfiguratiônis Dómini.
10....†....S. Lauréntii M.
15..........Asumtiônis B. M. V.
16....†....In Civitâte, S.Rochi C. *ex voto.*
24....†....S. Bartholomæi Apóstoli.
28....†....S. Augustíni Doctôris Ecclésiæ.

In Septembri.

8..........Nativitâtis B. M. V.

Die.

21....†....S. Matthæi Apóstoli.
29....†....S. Michaêlis Archángeli.

In Octobri.

28....†....SS. Simônis & Judæ Apostolôrum.

In Novembri.

1..........Festum ómnium Sanctôrum.
30....†....S. Andréæ Apóstoli.

In Decembri.

8..........Conceptiônis B.M.V.
10..........S. Eulállæ Emeriténsis Patrónæ Diœcêsis.
13....†....S. Lucíæ V. & M. *ex voto Diœcêsis.*
21....†....S. Thomæ Apóstoli.
25..........Nativitâtis Dómini N. J. C.
26..........S. Stéphani Protomártyris.
27....†....S. Jóannis Evangelístæ.
28....†....SS. Innocéntium.
31....†....S. Silvéstri Papæ, & Confessôris.

Nota.

Cetera, quæ in Synodálibus antíquis continéntur, non sunt in observántia.

OFFICIA PROPRIA SANCTORUM OVETENSIS ECCLESIÆ, ET DIOECESIS.

FESTA JANUARII.

Die ix.

In Festo SS. Eulógii, & Lucrétiæ Mártyrum, dup. *De quibus fit in hac die ex antíqua consuetúdine.*

Omnia de commúni plurimôrum Mártyrum, præter sequéntia.

Oratio.

Deus, quì nos concêdís Sanctôrum Mártyrum tuôrum Eulógii, & Lucrétiæ natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eôrum societâte gaudêre. Per Dóminum nostrum.

Fit commemorátio Epiphaníæ cum Aña. correspondénti diéi infraotâv. & si vénerit in Domínica, ad Matutînum dícitur 9. léctio de Homilîa Domínicæ, de qua fit commemorátio in Láudibus, & utrísque Vésperis, & pósteà Epiphaníæ.

In primo Nocturno.

Legúntur lectiónes de Epístola B. Pauli Apóstoli ad Romános: Fratres, debitóres, *de commúni.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Breviário antíquo Oveténsi.

In diêbus illis erat quidam vir in urbe Cordubénsi, nómine Eulógius, Christi Sacérdos & fámulus, lítteris, ac Sanctæ legis documéntis ádmodùm imbûtus, qui diêbus ac nóctibus vigíliis, orationibus, & jejúniis in Ecclésiis Christo Dómino serviêbat, útpotè miles perfectíssimus.

Huic ínerant erga sacræ fidei cultóres, ac Christi páuperes víscera pietâtis exímia. Pascêbat enìm egénos, consolabâtur tribulátos, visitâbat infírmos, & vinctos in cárcere pro Christi nómine refovêbat. Eulógius étiam Hæréticis, & Judæis, ac Gentílibus prædicans, quamplúrimos, errôre depósito, ad fidem cathólicam convertêbat. Erat in eo tanta ánimæ & córporis abstinéntia, ut in diêbus advéntus Dómini, ac per totum quadragésimæ tempus ab Ecclésia non discéderet, ubi nullum córpori straméntum præbêbat, præter Psaltérium, quod cápiti suo (in quo meditabâtur) suppóneret.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, & in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percussit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes inundavérunt. Terra appáruit.

Lectio v.

Eulógius igitur ad perfectiônis cúmulum ascéndere cúpiens, salutátis paréntibus cum ceteris Christiánis Córdubæ degéntibus, Romam adîre dispósuit, & aggréssus iter, Evangélium prædicándo Pampilónam usque pervênit. Ubi, qui áderant fidéles lóngius ire dissuadébant, loca desérta, & gentem Saracenôrum fidélibus inféstam opponéntes, quo à peregrinatiône, quam cœperat, retraxérunt. Cum ergò Córdubam rediisset, puélla quædam nóbilis Lucrétia nómine, sancto viro occúrrit, & se ad pedes ejus advólvens, Christiânam ab eo fieri pétiit; & postquam eam baptizâvit, in domo cujúsdam sanctæ mulíeris occultâvit.

℟. Vérbera carnifícum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes.

Lectio vi.

Cum à própriis paréntibus Lucrétia virgo beâta in oratiône pósita invenirêtur, domum & omnem ejus substántiam deprædári jussérunt, ac domum dénique combusérunt: & cùm ad Ecclésiam S. Zóyli venissent, Sanctum virum Eulógium in oratiône jacen-

céntem vidérunt, quem diu verbéribus cæsum semivîvum reliquérunt, ac dénique in cárcerem jussu regis missus, cùm nollet à fide Christiána discédere, cápite plexus est. Beâta verò Lucrétia, cùm nec pollicitatiónibus matris, nec divérsis ornaméntis & divítiis à rege sibi oblátis, viam veritâtis desérere vellet, ab spiculatôre cápite plexa in cælum migrâvit. Quorum utriúsque córpora tunc à Christiánis sublâta, procedénte témpore, Ovêtum sunt translâta, ubi in Ecclésia Sancti Salvatôris à fidélibus magna cum veneratiône colúntur.

℟. Tanquam aurum in fornâce probâvit eléctos Dóminus, & quasi holocáusti hóstiam accêpit illos, & in témpore erit respéctus illôrum: * Quóniam donum, & pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum intélligent veritâtem, & fidéles in dilectiône acquiéscent illi. Quóniam donum. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno.

Homilîa S. Ambrósii Epíscopi *in Evangélium*, Descéndens Jesus de monte, *de commúni plurimôrum Mártyrum* 2. *loco. In Láudib. & Vésperis fit commemorátio Epiphaníæ.*

Missa: Sapiéntiam Sanctôrum, *de dicto Commúni* 2. *loco. Commemorátio Epiphaníæ, Credo, Præfátio, & communicántes de Epiphanía.*

Die xvi. Januarii.

Hódiè fit de S. Fulgéntio Epíscopo, & Confessôre, dup. *in Hispánia. Festo* S. Marcélli Pap. & Mártyr. *assignâta est in perpétuum dies* xii. *Februárii.*

Die xxi. Januarii.

Fit de Sanctis Fructuóso Ep. & Augúrio, & Eulógio Martyribus, dup. *in Hispánia. Festo* S. Agnêtis Vírginis & Mártyris *assignâta est in perpétuum dies* xi. *Februárii.*

Die xxiii. Januarii.

Est festum S. Ildephónsi Episc. Toletáni, & Confessôris, dup. 2. clas. *cum* Octáva *in Hispánia*, & *festum* S. Raymúndi de Peñaf. Conf. *est fixum in die* xiv. *Februárii.*

Die xxiv. Januarii.

In Festo Descensiônis B. M. V. dup. 2. clas.

AD VESPERAS AÑA.

O admirábile commércium, &c. *cum réliquis de Offício Parvo B. M. V. pro hoc témpore de Nativitâte usque ad Purificatiônem.*

Psalmi de eôdem Offício. Capítulum, Ab inítio. *Hymnus*: Ave maris stella. ℣. Dignâre me laudâre te, Virgo sacrâta. ℞. Da mihi virtûtem contra hostes tuos.

AD MAGNIFICAT AÑA.

Sancta Marîa succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercêde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvâmen, quicúmque célebrant tuam sanctam Descensiônem.

ORATIO.

Deus, qui salûtis ætérnæ, Beátæ Maríæ Virginitâte fecúnda, humáno géneri præmia præstitísti: tríbue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiâmus, per quam merúimus Auctôrem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum-Christum Fílium tuum: qui tecum vivit.

Deinde fit commemorátio S. Ildephónsi.

In Hymno Completórii & Horârum sequéntis diéi, præter Vésperas, últimus ℣. Jesu tibi sit glória, Qui natus es, *&c.*

AD MATUTIN. INVITATORIUM.

Sancta Marîa Dei génitrix Virgo: * Intercêde pro nobis. *Psalmus.* Veníte exultêmus. *Hymnus.* Quem terra. *Añæ. & Psalmi Nocturnôrum, ut in Offício Parvo B. M. V.*

IN PRIMO NOCTURNO.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua.
℞. Inténde, próspere procêde, & regna.

De Parábolis Salomônis.
c. 8. b. & 9.

LECTIO. I.

Ego sapiéntia hábito in consílio, & erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum: arrogántiam, & supérbiam, & viam pravam, & os bilíngue detéstor. Meum est consílium, & æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitûdo. Per me reges regnant, & légum conditóres

res justa decérnunt. Per me príncipes imperant, & poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me dílígo : & qui manè vigilant ad me, invénient me.

℟. Sancta, & immaculâta virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio: * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Quia quem.

Lectio ii.

Mecum sunt divítiæ, & glória, opes supérbæ, & justítia. Mélior est enim fructus meus auro, & lápide pretióso, & genímina mea argénto elécto. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitârum judícii, ut ditem diligéntes me, & thesáuros eôrum répleam. Dóminus possêdit me in inítio viârum suârum, ántequam quidquam fáceret à princípio. Ab ætérno ordinâta sum, & ex antiquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, & ego jam concépta eram: necdum fontes aquârum erúperant: necdum montes gravi mole constíterant: ante colles ego parturiébar.

℟. Congratulámini mihi omnes qui dilígitis Dóminum: quia cum essem párvula plácui Altíssimo : * Et de meis viscéribus génui Deum & hóminem. ℣. Beâtam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Et de meis viscéribus.

Lectio iii.

Beâtus homo, qui audit me, & qui vígilat ad fores meas quotídie, & obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, & háuriet salûtem à Dómino: qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes, qui me odérunt, díligunt mortem. Sapiéntia ædificâvit sibi domum, excîdit colúmnas septem. Immolâvit víctimas suas, míscuit vinum, & propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas ut vocárent ad arcem, & ad mœnia civitâtis. Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locûta est: Venîte, comédite panem meum, & bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Beâta es Virgo Marîa, quæ Dóminum portásti creatôrem mundi : * Genuísti, qui te fecit, et in ætérnum pérmanes virgo. ℣. Ave Marîa gratiâ plena, Dóminus tecum.

cum. Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In secundo Nocturno.

℣. Adjuvâbit eam Deus vultu suo.
℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

Ex Cixílla Archiep. Toletáno in vita S. Ildephónsi.

Lectio iv.

Cum Beâtus Ildephónsus Toletánæ Ecclésiæ Archiepíscopus hæréticos quosdam, perpétuam Dei Matris virginitâtem labefactâre conántes, vi veritâtis convíctos ex univérsa Hispánia depulísset; tanta fuit sacratíssimæ Vírginis in servum suum Ildephónsum benígnitas, ut hoc ejus stúdium miráculo illústri comprobáverit. Incarnatiônis enim filii ejus festo die, qui décimo quinto Kaléndas Januárii per univérsam Hispániam ex décimi Concílii Toletáni decréto celebrâtur, nocte intempésta descéndit de cælo Sanctíssima Virgo, vírginum, & Angelôrum comitáta choris: & in cáthedra unde Ildephónsus ad pópulum fácere verba consuéverat, divína quadam, & omnem captum excedénte forma, ac sole splendídior consêdit, univérso templo suavíssima inefábilis odôris fragrántia, & cæléstis lúminis magnitúdine compléto.

℟. Sicut cedrus exaltâta sum in Líbano, & sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta: * Dedi suavitâtem odôris. ℣. Et sicut cinnamômum, & bálsamum aromatízans. Dedi suavitâtem.

Lectio v.

Quò Ildephónsus ad noctúrnas preces de more véniens, comítibus pertérritis, & pavôre dilápsis, ipse rei novitâte inítio percúlsus, sed deínde spe eréctus, & devótæ mentis humilitâte secûrus, gáudio simul ac reveréntia tremens, humi sese ante pedes Vírginis supplex abjêcit: quem sic affâta virgo est: Própera in occúrsum serve Dei, áccipe munúsculum de manu mea, quod de thesáuris filii mei tibi áttuli. Et simul hæc dicens, vestem Ildephónso índuit cælésti opifício contéxtam. Et Virgo quidem, his dictis, rédiit in cælum. Ildephónsus verò & mirífica visiône Deo plenus, & pretióso do-

dono, fuit deínceps cunctis ordínibus, ac géntibus venerándus. Quo quidem dono in solemnióribus Beátæ Maríæ sacris intérdum est usus.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, & formôsa tanquam Jerúsalem? * Vidérunt eam filiæ Sion, & beâtam dixérunt, & regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosârum, & lília convállium. Vidérunt eam.

Lectio vi.

Extat hoc ipso in templo lapis, in quo vetústa majôrum traditiône, ac veneratiône constat, Marîam descendéntem constitísse. Atque, ut hujus tanti beneficii memóriam nulla unquam injúria témporum, aut oblívio delêret, ánnua celébritas ad eam rem vigésimo quarto Januárii institûta est, qui dies est à morte Ildephónsi, ejúsque natáli próximus; ut ex mútua utriúsque festivitâtis conjunctiône dies splendídior esset. Vestis verò qua Ildephónsus à beáta Dei genitrîce María donâtus est, in vastatiône Hispaniârum à Saracénis in Sancti Salvatôris Oveténsem Ecclésiam à fidélibus cum áliis sanctôrum relíquiis delâta est.

℟. Ornâtam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupîvit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit Regîna à dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietâte. Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

In tertio Nocturno.

℣. Elêgit eam Deus, & præelêgit eam.

℟. In tabernáculo suo habitâre facit eam.

Lectio vii.

Léctio S. Evangélii secúndùm Lucam.

Cap. 2.

In illo témpore: Pastóres loquebántur ad ínvicem: Transeâmus usque Béthlehem, & videâmus hoc verbum, quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis. Et venérunt festinántes. Et réliqua.

Ho-

Homilîa S. Ildephónsi Archiepíscopi Toletáni.

Libro 1. *de Virginitáte B. M. c. 6. b.*

Vaticinántium ad hoc summa porrécta est, ut de Spíritu Sancto, & María semper Vírgine fíeret hoc Verbum caro: fieret Deus homo: fieret humânum, quod erat divînum, non diminutiône Deitâtis, non interitiône æternitâtis, non commutatiône incommutábilis veritâtis; sed assumtiône carnis, sed participatiône hóminis, sed societâte humanitâtis: sicque in uniône persónæ idem sit Verbum, qui caro; idem sit homo, qui Deus; idem sit in quo divínitas, & in quo humánitas est.

℟. Felix namque es sacra Virgo Marîa, & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercêde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvâmen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitâtem. Quia ex te.

Lectio viii.

Ac per hoc juxta Jeremîam: ipse unus Christus sit Deus, qui invênit omnem viam prudéntiæ, qui & cum homínibus conversâtus est homo. Juxta Psalmístam, ipse sit homo in Sion natus, qui fundâvit eam Deus. Deus excélsus juxta Isaîam, qui dicit: Quiéscite ab hómine, cujus spíritus in náribus ejus, quia excélsus reputâtus est. Ipse sit homo in cujus humanitâtis aspiratiónibus divinitâtis ejus spíritus est: qui sit & Deus, qui est reputâtus excélsus.

℟. Beâtam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. Quia fecit. Glória Patri. Quia fecit.

Lectio ix.

Juxta David, ipse sit Dóminus Deus, ad quem lóquitur Dóminus Deus: ipse sit homo, qui sedet à dextris Dei. Juxta Isaîam, ipse sit homo, qui párvulus natus est nobis: qui sit & Deus, qui fi-

fílius Deì datus est nobis. Juxta Psalmístam, ipse sit Deus, cui dícitur: Sedes tua Deus in sæculum sæculi; qui sit & homo, qui per exsultatiônis óleum Sancto Spíritu dícitur unctus.

Te Deum laudâmus: &c.

Ad Laudes Aña.

O admirábile commércium, *cum réliquis, sicut dícitur in Vésperis. Capítul.* Ab início. *Hymnus.* O Gloriôsa Vírginum, *ut in Officio Sabbat. B. M. V.*

℣. Diffûsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus Aña.

Mirábile mystérium declarâtur hódiè: innovántur natúræ, Deus homo factus est: id quod fuit permánsit, & quod non erat assúmsit, non commixtiônem passus, neque divisiônem.

Oratio.

Deus, quì salûtis, *ut in Vésperis. Non fit commemorátio Octávæ* S. Ildephónsi, *nec in Vésp.*

Ad horas. Cap. & ℟℟. brév. ut in Officio S. M. in Sabbat.

In secúndis Vésperis, ómnia ut in primis, præter Añam. ad Magníficat, quæ est. Aña.

Magnum hereditâtis mystérium: templum Dei factus est úterus nesciéntis virum: non est pollûtus ex ea carnem assúmens: omnes gentes vénient dicéntes: Glória tibi Dómine.

Et fit commemorátio Conversiônis S. Pauli Apóstoli, & S. Petri Apóstoli.

Missa: Vultum tuum, *de Votivis B. M. V. de Nativitâte usque ad Purificatiònem. Cred. Præf. B. M. V.* Et te in Festivitâte, *&c.*

Si hoc festum transferâtur ad diem III. *Februárii, non variâtur Officium, nec Orátio.*

Pro Festo S. Timothei Ep. & M. *assignâta est dies* XV. *Februárii in perpétuum.*

DIE XXVI. JANUARII.

Fit de S. Paula Vidua, sem. *in Hispán. ut in Breviár. commem. Oct.* S. Ildephónsi. *Festo* S. Polycárpi Ep. & M. *assignâta est dies* XVI. *Februárii.*

DIE XXIX. JANUARII.

Fit de S. Valério Episc. & Conf. dup. *in Hisp. commemo-*

rátio Octavârum S. Ildephónsi, & S. Juliáni *in Láudibus. Missa, & Vésperis. Festo* S. Francísci Sales Ep. & Conf. *assignâta est dies* XI. *Februárii.*

DIE XXX. JANUARII.

Fit de die Octáva S. Ildephónsi, dup. *in Hisp. Omnia ut in Breviário, comm.* S. Juliáni. *Festo* S. Martínæ V. & M. *assignâta est dies* XVII. *Februárii.*

FESTA FEBRUARII.

DIE I.

Celebrâtur Festum S. Cæcílii Ep. & M. dup. *in Hispán. ut in Breviário SS. Hisp. Lectiónes* 1. *&* 3. *Noctúrni de die* S. Lauréntii M. 10. *Augústi; commem.* S. Juliáni *in Láudib. & Missa, quæ est*: Státuit, *de communi cum Oratiône Officii, & Evangélio*: Nisi granum fruménti. *Festum* S. Ignátii Ep. & M. *celebrâtur in die* XVIII. *hujus, illi assignáta.*

DIE IX. FEBRUARII.

Fit de S. Agnête V. & M. dup. *étiam si vénerit in una ex Domínicis post Epiphanîam ante Septuagésimam. Omnia ut in Breviário in die* XXI. *Januárii, cum* 9. *lectiône de* S. Appollónia V. & M. *nisi sit Domínica; quia tunc erit* 9. *lect. de* Homilía Domínicæ; *commem.* S. Appollóniæ *in Laud.* ℣. Spécie tua, *& Missa. Si est in Domínica, fit ántea commemorátio ipsîus, & tunc dícitur Credo, & Præf.* de Trinitâte *cum último Evangélio Domínicæ.*

DIE XI. FEBRUARII.

Fit de S. Francísco Sales Ep. & Conf. dup. *dies in Breviário* XXIX. *Januárii. Si vénerit in Domínica, observábitur, quod notâtur in die* IX. *antecedénti.*

DIE XIII. FEBRUARII.

Fit de S. Marcéllo Pap. & M. sem. *dies in Breviário* XVI. *Januárii, ut ibi notâtur. Si vénerit in Domínica, transfértur post festa sequéntia, in primam diem non impedîtam. In Vésp. fit à Cap. de* S. Raymundo Conf. *com.* S. Marcélli, & S. Valentíni. M.

DIE

Die xiv. Februarii.

Fit de S. Raymúndo de Peñaf. Conf. sem. *dies in Breviário* xxiii. *Januárii*, *ut ibi notâtur: com. (sine lect.)* S. Valentíni M. *in Laud. & Missa. Si vénerit in Quadragésima, dicêtur 9. lect. de* Hom. Fer. & *com. ántea de ea, & póstea* S. Valentíni. *In Vésp. Cap.* S. Timóthei Ep. & M. *com.* S. Raymúndi, & SS. Faustíni, &c. Mm.

Die xv. Februarii.

De S. Timótheo Ep. & M. sem. *dies in Breviário* xxiv. *Januárii*, *ut ibi notâtur*, *cum 9. lect.* SS. Faustíni &c. Mártyrum, & *com. in Láud. & Missa.* In *Vésp. Cap.* S. Polycárpi Episc. & M. *com.* S. Timóthei.

Die xvi. Februarii.

De S. Polycárpo Ep. & M. sem. *dies in Breviár.* xxvi. *Januárii*, *ut in eo dícitur.* In *Vésper. Cap.* S. Martínæ V. & M. *Hymnus*: Martínæ célebri, &c. *usque ad illa verba*, Non illam, *exclusîvè; sed cum terminatiône*: A nobis ábigas, &c. *com.* S. Polycárpi.

Die xvii. Februarii.

De S. Martína V. & M. sem. *dies in Breviár.* xxx. *Januárii*, *ut ibi notâtur. Hymnus ad Matutînum incipit*: Non illam, *nisi dies antecédens fúerit Dominica*, *quia tunc dicêtur integer.* In *Vésp. Cap.* S. Ignátii Ep. & M. *com.* S. Martínæ, & S. Simeônis Ep. & M. *Aña.* & ℣. *de Láudibus. Orátio*: Deus qui nos.

Die xviii. Februarii.

De S. Ignátio Ep. & M. sem. *dies in Breviário* i. *hujus*, *ut ibi notâtur*, *cum 9. lectiône* S. Simeônis, & *com. in Láud. Aña.* & ℣. *de* i. *Vésp.* & *Missa*, *cum dicta Oratiône.*

Die xxvii. Februarii.

Festum S. Elíæ Prophétæ dup. *in Diœcési*, *ex indúlto Apostól.* vi. *Aprîlis* mdcclxxi. *ad preces nostri Illustríssimi Epíscopi* D. D. Augustíni Gonzalez Pisador, & *data est ei facúltas assignándi hunc diem.*

Ad Vesperas.

Aña. Zelo zelâtus sum pro Dómino Deo exercítuum: quia de-

dereliquérunt pactum tuum filii Israël.

Psalmi de Domínica ad Vésperas, & loco último, dícitur: Lauda Jerúsalem Dóminum. *de Sab.*

Antíphona. Usquequò claudicâtis in duas partes? Si Dóminus est Deus, sequímini eum.

Aña. Si homo Dei sum, descéndat ignis de cælo, & dévoret te, & quinquagínta tuos.

Aña. Non ego turbávi Israël; sed tu, & domus patris tui, qui dereliquístis mandâta Dómini.

Aña. Occidísti ínsuper, & possedísti. Ecce ego indûcam super te malum, & démetam posteriôra tua.

CAPITULUM.

Eccles. 48.

Surréxit Elías Prophêta quasi ignis, & verbum ipsîus quasi fácula ardêbat. Qui indúxit in pópulos famem, & irritántes illum invídiâ suâ pauci facti sunt.

HYMNUS.

Nunc juvat celsi properâre ad alta
Mente Carméli juga, & ore pleno
Vatis Elíæ méritos reférre
Laudis honóres.

Dum fames terras prémeret, ministro
Utitur corvo: víduæ farînam
Súfficit solers: oleôque manat
Hydria pingui.

Hic, Deo fusis précibus, redúctum
Fínibus mortis púerum, paréntì
Reddit, orándo valet expetîtam
Réddere lucem.

Claudit & nubes, aperítque verbo;
Imperat post tres properánter annos
Décidant cælo, sitiénsque tellus
Háuriat imbres.

Sit Patri summo, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque Sancte
Spíritus, laus, impérium, potéstas
Tempus in omne. Amen.

℣. Verbo Dómini contínuit cælum.

℟. Et dejêcit de cælo ignem ter.

AD MAGNIFICAT AÑA.

Ecce ego mittam vobis Elîam Prophêtam, ántequam véniat dies Dómini magnus, & horríbilis, et convértet cor pa-

patrum ad filios, & cor filiôrum ad patres eôrum.

Oratio.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut qui Beâtum Elîam Prophêtam tuum ígneo curru mirabíliter elevâtum esse crédimus: eôdem interveniénte ad cæléstia elevêmur, & Sanctôrum tuôrum consórtio gaudeâmus. Per Dóminum.

Ad Matutin. Invitatorium.

Regem Prophetârum Dóminum: * Venîte adorêmus. *Psalm.* Venîte exultêmus *&c.*

Hymnus.

Nunc juvat celsi, *&c. ut supra ad Vésperas.*

In primo Nocturno

Aña. Factum est autem, ut ægrotâret fílius mulíeris matrisfamílias, & erat languor fortíssimus.

Psalmi in tribus Noctúrnis. de commúni Conf. non Pontíf.

Aña. Dixit múlier ad Elîam: Quid mihi, & tibi vir Dei? Ingréssus es ad me, ut rememoraréntur iniquitátes meæ, & interfíceres fílium meum?

Aña. Ait Elias ad víduam: Da mihi filium tuum. Et clamâvit ad Dóminum, & revíxit puer.

℣. Verbo Dómini contínuit cælum.

℟. Et dejêcit de cælo ígnem ter.

De libro tértio Regum.

Cap. 17.

Lectio I.

Dixit Elías Thesbítes de habitatóribus Gálaad ad Achab: Vivit Dóminus Deus Israël, in cujus conspéctu sto, si erit annis his ros & plúvia, nisi juxta oris mei verba. Et factum est verbum Dómini ad eum, dicens: Recêde hinc, & vade contra Oriéntem, & abscóndere in torrénte Carith, qui est contra Jordânem, & ibi de torrénte bibes: corvísque præcépi, ut pascant te ibi. Abiit ergo, & fecit juxta verbum Dómini: cumque abiísset, sedit in torrénte Carith, qui est contra Jordânem. Corvi quoque deferébant ei panem & carnes manè, simíliter panem & carnes vésperi, & bibêbat de torrénte. Post dies autem siccâtus est torrens: non enim plúe-

plúerat super terram. Factus est ergo sermo Dómini ad eum, dicens: Surge: & vade in Saréphta Sidoniôrum, & manêbis ibi: præcépi enim ibi mulieri víduæ, ut pascat te.

℟. Recêde hinc, & vade contra Oriéntem, dixit Dóminus ad Elîam. * Qui ábiit, & fecit juxta Verbum Dómini. ℣. Abscóndere in torrénte Carith, & ibi de torrénte bibes: corvísque præcépi, ut pascant te ibi. Qui ábiit.

Lectio II.

Surréxit, & ábiit in Saréphta. Cumque venisset ad portam civitâtis, appáruit ei múlier vídua cólligens ligna, & vocâvit eam, & dixit ei: Da mihi páululum aquæ in vase, ut bibam. Cumque illa pérgeret, ut afférret, clamâvit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, óbsecro, & buccéllam panis in manu tua. Quæ respóndit: Vivit Dóminus Deus tuus, quia non hábeo panem, nisi quantum pugíllus cápere potest farínæ in hydria, & páululum ólei in lécytho: en cólligo duo ligna, ut ingrédiar, & fáciam illud mihi & fílio, ut comedâmus, & moriâmur. Ad quam Elías ait: Noli timêre, sed vade, & fac sicut dixísti: verúmtamen mihi primùm fac de ipsa farínula subcinerícium panem párvulum, & affer ad me: tibi autem & fílio tuo fácies póstea. Hæc autem dicit Dóminus Israël: Hydria farínæ non defíciet, nec lécythus ólei minuêtur usque ad diem, in qua Dóminus datûrus est plúviam super fáciem terræ. Quæ ábiit, & fecit juxta verbum Elíæ: & comêdit ipse, & illa, & domus ejus: & ex illa die hydria farínæ non defêcit, & lécythus ólei non est imminûtus, juxta verbum Dómini, quod locûtus fúerat in manu Elíæ.

℟. Abiit múlier, & fecit juxta verbum Prophétæ: * Et comêdit ipse, & illa, & domus ejus. ℣. Ex illa die hydria farínæ non defêcit, & lécythus ólei non est imminûtus, juxta verbum Elíæ. Et comêdit.

Lectio III.

Factum est autem post hæc, ægrotâvit filius mulieris matrisfamílias, & erat languor fortíssimus, ita ut non remanêret in eo hálitus. Dixit ergo ad Elîam: Quid mihi & tibi vir Dei? Ingréssus es ad me ut rememoraréntur ini-

qui-

quitátes meæ, & interfíceres fílium meum? Et ait ad eam Elías: Da mihi fílium tuum. Tulítque eum de sinu ejus, & portâvit in cœnáculum, ubi ipse manêbat, & pósuit super léctulum suum. Et clamâvit ad Dóminum, & dixit: Dómine Deus meus, etiámne víduam, apud quam ego utcúmque susténtor, afflixísti, ut interfíceres fílium ejus? Et expándit se, atque mensus est super púerum tribus vícibus, & clamâvit ad Dóminum, & ait: Dómine Deus meus, revertâtur, óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. Et exaudîvit Dóminus vocem Elíæ: & revérsa est ánima púeri intra eum, & revíxit.

℟. Revérsa est ánima púeri intra eum, & revíxit, & trádidit matri suæ, & ait illi: * En vivit fílius tuus. ℣. Tulit Elías púerum, & depósuit eum in inferiôrem domum, dicens: En vivit. Glória Patri, &c. En vivit.

In secundo Nocturno.

Aña. Factum est verbum Dómini ad Elîam, dicens: Vade, & osténde te Achab, ut dem plúviam super fáciem terræ.

Aña. Ait Elías ad Achab: Ascénde, cómede, & bibe, quia sonus multæ plúviæ est.

Aña. Manus Dómini facta est super Elîam, accintísque lumbis currêbat ante Achab, donec venîret in Jézraël.

℣. Tu ungis Reges ad pœniténtiam.

℟. Et Prophétas facis successóres post te.

Ex libro S. Epiphánii Episcopi, de vitis Prophetârum.

Lectio iv.

Elías Prophêta ex Thesbis erat, è continénte Arabum de Tribu Aaron, Levîta. Morabâtur autem in Gálaad, quóniam Thesbis erant ædes Sacerdótibus consecrátæ ac destinátæ. Quem cum eniterêtur parens ejus, ejúsmodi Sabac patri vísio appáruit. Viri níveum quemdam præseferéntes hábitum, pusiônem salutábant, matrísque ubéribus in ignem evellébant: quin & flammam ignis, cibi loco ministrábant. Proféctus est ítaque in Jerúsalem génitor, vísaque ad Sacerdótes rétulit. Respóndit autem illi chrematísmus, hoc est orâculum, si-

sive respónsor: Cave maniféstum fácias. Erit quippe lumen filii hujus domicílium, sérmoque ejus demonstrátio, ac senténtia brevis: & judicâbit Israël, cùm igne, tùm romphæa. Hic est ille Elías, quiter ignem è cælo dedúxit, quique imbrem sua lingua gestâvit, mórtuos item suscitâvit, & in cælum dénique nímbo seu túrbine ignis assúmtus est.

℞. Ait Abdías ad Elîam: Cum recéssero à te, Spíritus Dómini asportâbit te in locum, quem ego ignôro, & tu dicis: * Dic Dómino tuo: Adest Elías. ℣. Dixit Elías: Vivit Dóminus exercítuum, ante cujus vultum sto, quia hódie apparêbo ei. Dic Dómino.

Ex libro S. Isidóri Epíscopi, de vita, & morte Sanctôrum.

LECTIO V.

Elías, qui interpretâtur Dóminus Deus, Thesbítes, Sacérdos magnus, atque Prophêta, habitâtor solitúdinis, fide plenus, devotiône summus, in láboribus fortis, in indústria solers, excellénti ingénio præditus, in exercitatiône disciplinæ instructus, sancta meditatiône assíduus, metûque mortis intrépidus: verberâvit tyránnos, sacrílegos interfêcit, multísque signis virtûtum effúlsit. Triénnio siccitâte clausit ímbribus cælum. Orâvit rursum, & cælum dedit plúvias. Mórtuum mulíeris fílium suscitâvit. Cujus virtûte hydria farínæ non defêcit, & vas ólei perpétuo fonte manâvit. Cujus verbo super sacrifícium ignis de cælo venit. Duos quinquagenários cum milítibus cæléstí igne combûssit. Jordânem trânsiens, tactu melôtis abrûpit aquas.

℞. Cum venîsset Elías ad portam civitâtis, appáruit ei múlier vídua cólligens ligna, & vocâvit eam, dixítque ei: * Da mihi paúlulum aquæ in vase, ut bibam. ℣. Cumque illa pérgeret ut afférret, clamâvit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, óbsecro, & buccéllam panis in manu tua. Da mihi.

LECTIO VI.

Post hæc ígneo curru in cælum raptus ascéndit, ventûrus juxta Malachîam Prophêtam in fine mundi, præcessûrus Christum, annuntiatûrus últimum ejus advéntum cum

cum magnis virtútibus, prodigiísque signôrum: ita ut bellum gerat Anti-Christus advérsus eum & Henoch, qui cum eo ventûrus est, & occîdet eos. Cadávera verò eôrum tribus diêbus, & sex horis in platéis insepúlta jacébunt. Dehinc suscitáti à Dómino regnum Anti-Christi plaga magna percútient. Post hæc véniet Dóminus, & interfíciet Anti-Chrístum gládio oris sui, & eos qui adoravérunt eum, & regnâbit Dóminus cum ómnibus Sanctis suis in ætérnum.

℟. Explándit se atque mensus est Elías super púerum tribus vícibus, & clamâvit ad Dóminum: * Et exaudîvit Dóminus vocem Elíæ. ℣. Dómine Deus meus, revertâtur, óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. Et exaudîvit. Glória Patri, &c. Et exaudîvit.

In tertio Nocturno.

Aña. Dixit Elías Prophétis Baal: Elígite vobis bovem unum, & invocâte nómina deôrum vestrôrum: Qui clamábant, & non erat, qui respondêret eis.

Aña. Cùm jam tempus esset ut offerrêtur holocáustum, accédens Elías orâvit ad Dóminum.

Aña. Oránte Elía, cécidit ignis Dómini, & vorâvit holocáustum, & ligna, & lápides, púlverem quoque, & aquam, quæ erat in aquædúctu lambens.

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt.

℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Lectio vii.

Léctio S. Evangélii secúndùm Matthæum.

Cap. 17.

In illo témpore: Assúmsit Jesus Petrum, & Jacôbum, & Joánnem fratrem ejus, & duxit illos in montem excélsum seórsùm, & transfigurâtus est ante eos. Et réliqua.

Homilîa S. Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 57. in Matth. paulò post princ.

Cujus autem rei grátia Móysen & Elîam prodúxit: multas quidem dícere quis causas posset. Primùm, quóniam & turbæ álii Elîam, álii Jeremîam, álii priscôrum

Prophetârum unum opinabántur: idcírcò Moysen, & Elîam ceterôrum Prophetârum vértices prodûcit; ut quàm magnum sit inter servos & Dóminum discrîmen óculis cérnerent, utque rectè laudâtum créderent Petrum, qui Fílium Dei eum conféssus est. Deinde quóniam assíduè quasi transgressôrem legis Judæi accusábant, & blasphemâre putábant, quasi glóriam Patris nihil ad eum pertinéntem vendicâret. Dicébant enim: Hic non est à Deo, quia Sábbatum non servat; & rursus: De bono ópere non lapidâmus te, sed cum sis homo, Deum te facis: ut ipsâ re monstrarêtur, quia ex invídia hæc criminabántur, quia neutri horum críminum subjicerêtur, nec legis prævaricâtor esset, nec aliênam glóriam sibi acquíreret, æquâlem se Patri faciéndo, eos prodúxit in médium, quorum altéruter in altérutra istârum rerum præfúlsit. Móysi enim legem dedit: quare non fuísset passus Moyses conculcári legem, ut Judæi credébant; nec prævaricatôrem ejus, & legum latôris hostem, lator ipse unquam coluísset. Elías autem pro glória Dei zelâvit; quare non adstitísset ei, qui æquâlem se Patri dicêbat, si non esset; nec paruísset illi, qui sibi, quod non habêbat, vendicâret.

℟. Ait Elías núntiis Regis Samariæ: Nunquid non est Deus in Israël, ut eâtis ad Beélzebub? Quamóbrem hæc dicit Dóminus: * De léctulo super quem ascendísti, non descéndes; sed morte morieris. ℣. Revérsi núntii ad Ochozîam dixérunt: Vir occúrrit nobis dicens: Ite, & revertímini ad Regem, & dicêtis ei: De léctulo.

Lectio VIII.

Ad hæc ómnia illud étiam póssumus dícere, ut tàm mortis, quàm vitæ habêre potestâtem líquidò ac verè crederêtur, utque supernôrum & infernôrum Dóminus ostenderêtur: idcírcò Móysen jam mórtuum, & Elîam, qui nondum id passus est, in médium prodúxit. Quartam verò causam Evangelista quoque ipse tétigit. Quænam ígitur ista est? Ut Crucis glóriam osténdat, & tàm Petrum, quàm réliquos, qui passiônem formidábant, consolarêtur, & ad sublímius érigeret. Non enim tacébant, inquit,

quit, sed loquebántur de glória, quam completûrus erat in Jerúsalem; de Cruce vidélicet ac passiône : sic enim ipsam semper appellâbat.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elîam per túrbinem in cælum, * Eliséus clamâbat, dicens : Pater mi, pater mi, currus Israël, & aurîga ejus. ℣. Cùmque pérgerent, & incedéntes sermocinaréntur: ecce currus ígneus, & equi ígnei divisérunt utrúmque, & ascéndit Elías per túrbinem in cælum. Eliséus. Glória Patri, &c. Eliséus.

Si hoc festum vénerit in Quadragésima, nona léctio légitur de Homilía Fériæ tunc occurréntis; álio témpore légitur sequens.

Lectio IX.

Accêdit ad hæc ómnia virtus quoque virôrum singulâris, atque præcípua, quam máximè à discípulis flagitâbat. Nam quóniam dixit : Si quis vult venîre post me, tollat crucem suam, & sequâtur me : hac de causa eos, qui cénties pro Dei præceptôrum custódia, & pópuli, qui sibi créditus fúerat, mortem suscepíssent, in médium prodûcit : quorum utérque cùm ánimam perdíderit, invênit eam. Atque sanè magnâ libertâte advérsus tyránnos locúti sunt : alter advérsùs Ægyptum, alter adversùs Achab : & quod magnum est, pro ingrátis homínibus, & inobediéntibus, à quibus in atrócia perícula compúlsi sunt : quia etsi priváti, ac absque potestâte fúerant, propósitum tamen habuérunt ab idolôrum cultu pópulum erípere : quorum alter tardus lingua, & voce ténuis, alter étiam aliquómodo rustícior, & utérque sæculárium divitiârum apprímè contémptor. Nam neque Móyses quidquam possidêbat, nec Elías præter melôtem áliquid habêbat; præsértim cum véteres essent, nec tantâ grátiâ signôrum pollérent.

Te Deum laudâmus, &c.

Ad Laudes, et per Horas.

Aña. Elías, dum zelat zelum legis, recéptus est in cælum.

Psalm. Dóminus regnâvit, *cum réliquis de Domínica.*

Aña. Factum est autem, cum levâre vellet Dóminus Elîam per túrbinem in cælum, ibant Elías, & Eliséus de Gálgalis.

Aña. Tulit Elías pállium suum, & percússit aquas, & divísæ sunt, & transiérunt ambo per siccum.

Aña. Cum Elías, & Eliséus pérgerent, & incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus, & equi ígnei divisérunt utrúmque.

Aña. Ascéndit Elías per túrbinem in cælum; Eliséus autem vidêbat, & clamâbat: Pater mi, Pater mi, currus Israël, & aurîga ejus.

CAPITULUM.

Eccli. 48.

Surréxit Elias Prophêta quasi ignis, & verbum ipsîus quasi fácula ardêbat: Qui indúxit in pópulos famem, & irritántes illum invídia sua, pauci facti sunt.

HYMNUS.

Te magne rerum Cónditor,
Mens nostra gliscit laudibus
In hoc Thesbîte máximo,
Quem díligis, extóllere.
Hic namque sacri nóminis
Tui zelâtor próvocat
Vates Baal nequíssimos,
Victósque jure intérficit.
Illo precánte víctimas
Absûmit ignis cælitus:
Hi perstrepéntes ácritèr,
Sunt ómnibus ludíbrio.
Tum Jezabêlis ímpiæ
Vitans furôrem nóxium,
Sub junípero dórmiens
Adésse cernit Angelum.
Panem sibi qui próferens
Lymphámque, jussit pérgere
Cibo replêtum strénuè
Ad montis Horeb vérticem.
Hoc in cibo jejúnium
Tulit quadragenárium:
Hac vi dapes sunt prædítæ,
Quas dextra Dei pórrigit.
Omnis tibi sit glória
Verbum, Pater, Paráclite,
Inseparâta Trínitas,
Quæ condidísti ómnia.
Amen.

℣. Elías in túrbine tectus est. ℟. Et in Eliséo complêtus est spíritus ejus.

AD BENEDICTUS.

Aña. Elías homo erat símilis nobis passíbilis: & oratiône orâvit, ut non plúeret super terram; & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursùm orâvit: & cælum dedit plúviam, & terra dedit fructum suum.

ORATIO.

Præsta quæsumus, Omnípotens Deus, ut qui Beâtum Elíam Prophêtam tuum ígneo cur-

currru mirabíliter elevâtum esse crédimus : eôdem interveniénte ad cæléstia sublevêmur , & Sanctôrum tuôrum consórtio gaudeâmus. Per Dóminum.

Si vénerit in Quadragés. fit com. Fer. & in Vésp.

Ad Tertiam.

Aña. Factum est. *Capitulum.* Surréxit Elías , &c.

℟. *brev.* Verbo Dómini * Contínuit cælum. Verbo. ℣. Et dejêcit de cælo ignem ter. Contínuit. Glória Patri , &c. Verbo. ℣. Tu ungis Reges ad pœniténtiam. ℟. Et Prophétas facis successóres post te.

Ad Sextam.

Aña. Tulit Elías.

Capitulum.

Eccles. 48.

Verbo Dómini contínuit cælum , & dejêcit de cælo ignem ter: sic amplificâtus est Elías in mirabílibus suis.

℟. *brev.* Tu ungis Reges * Ad pœniténtiam. Tu. ℣. Et Prophétas facis successóres post te. Ad. Glória Patri &c. Tu ungis. ℣. Beáti sunt , qui te vidérunt. ℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Ad Nonam.

Aña. Ascéndit Elías.

Capitulum.

Eccles. 48.

Tu sustulísti mórtuum ab ínferis, de sorte mortis in verbo Dómini Dei: Qui scriptus es in judíciis témporum lenîre iracúndiam Dómini.

℟. *brev.* Beáti sunt, * Qui te vidérunt. Beáti. ℣. Et in amicítia tua decoráti sunt. Qui te. Glória Patri , &c. Beáti. ℣. Elías in túrbine tectus est. ℟. Et in Eliséo complêtus est spíritus ejus.

In secundis Vesperis.

Omnia ut in primis , præter sequéntia.

℣. Beáti sunt , qui te vidérunt.

℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Ad Magnificat.

Aña. Tulit Elías pállium suum , & percússit aquas Jordânis , quæ divísæ sunt in utrámque partem , & transiérunt ipse & Eliséus per siccum:

cum : & ascéndit per túrbinem in cælum.

Missa própria inveniêtur in fine hujus Códicis.

FESTA MARTII.

Die I.

Festum S. Angeli Custôdis dup. maj. *in tota Diœcési.*

Ad Vesperas.

Aña. Angelis suis, *cum réliquis de Láud.*

Psalmus: Dixit Dóminus, *cum réliquis de Domínica*, *&* *loco últimi*, *Psalm.* Laudâte Dóminum omnes Gentes.

Capitulum.

Exod. 23. d

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcêdat te, & custódiat in via, & introdûcat in locum, quem parávi. Obsérva eum, & audi vocem ejus.

Hymnus.

Custódes hóminum psállimus Angelos,
Natúræ frágili quos Pater áddidit
Cæléstis cómites, insidiántibus
Ne succúmberet hóstibus.
Nam quòd corrúerit próditor ángelus,
Concéssis méritò pulsus honóribus;
Ardens invídia, péllere nítitur
Quos cælo Deus ádvocat.
Huc custos ígitur pérvigil ádvola,
Avértens pátriâ de tibi créditâ
Tàm morbos ánimi, quàm requiéscere
Quidquid non sinit íncolas.
Sanctæ sit Tríadi laus pia júgitèr,
Cujus perpétuo númine máchina
Triplex hæc régitur, cujus in ómnia
Regnat glória sæcula. Amen.

℣. In conspéctu Angelôrum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorâbo ad templum sanctum tuum, & confitêbor nómini tuo.

Ad Magnificat.

Aña. Omnes sunt administratórii Spíritus, in ministérium missi propter eos, qui hereditâtem cápiunt salûtis.

Ora-

Oratio.

Deus, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignâris: largîre supplícibus tuis, & eôrum semper protectiône defendi, & ætérna societâte gaudêre. Per Dóminum.

In Quadragésima fit com. Fériæ *in utrísque Vésperis & Láudibus.*

Ad Matutin. Invitatorium.

Regem Angelôrum Dóminum, ✻ Venîte adorêmus. *Psalm.* Venîte exultêmus. *Hymnus, ut in Vésperis.*

In primo Nocturno.

Aña. Dóminus Deus cæli & terræ ipse mittet Angelum suum coram te.

Psalmi in tribus Noctúrnis, ut in die Apparitiônis Sancti Michaêlis Archángeli, *VIII. Máii in Breviário.*

Aña. Deus meus misit Angelum suum, & conclûsit ora leônum, & non nocuérunt mihi.

Aña. Benè ambulêtis, & Dóminus sit in itínere vestro, & Angelus ejus comitêtur vobíscum.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

De libro Exodi.

Cap. 23. d.

Lectio I.

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcêdat te, & custódiat in via, & introdûcat in locum quem parávi. Observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnéndum putes: quia non dimíttet cum peccáveris, & est nomen meum in illo. Quod si audíeris vocem ejus, & féceris ómnia quæ loquor, inimîcus ero inimícis tuis, & aflîgam affligéntes te. Præcedétque te Angelus meus.

℟. Angelis suis Deus mandâvit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis: ✻ In mánibus portábunt te, ne umquam offéndas ad lápidem pedem tuum. ℣. Míllia míllium ministrábant ei, & décies centêna míllia assistébant ei. In mánibus.

Ex

Ex Zacharía Prophéta.

Cap. 1. b.

Lectio ii.

Factum est verbum Dómini ad Zacharîam, filium Barachíæ, filii Addo, Prophêtam, dicens: Vidi per noctem, & ecce vir ascéndens super equum rufum, & ipse stabat inter myrtêta, quæ erant in profúndo: & post eum equi rufi, várii, & albi. Et dixi: Quid sunt isti, Dómine mi? Et dixit ad me Angelus, qui loquêbatur in me: Ego osténdam tibi, quid sint hæc. Et respóndit vir, qui stabat inter myrtêta, & dixit: Isti sunt, quos misit Dóminus, ut perámbulent terram. Et respondérunt Angelo Dómini, qui stabat inter myrtêta, & dixérunt: Perambulávimus terram, & ecce omnis terra habitâtur, & quiéscit.

℟. Respóndit Angelus Dómini, & dixit: Dómine exercítuum, * Usquequò tu non miseréberis Jerúsalem, & úrbium Juda, quibus irâtus es? ℣. Iste enim septuagésimus annus est. Usquequò.

Lectio iii.

Cap. 2.

Et levâvi óculos meos, & vidi: & ecce vir, & in manu ejus funículus mensôrum. Et dixi: Quò tu vadis? Et dîxit ad me: Ut métiar Jerúsalem, & vídeam, quánta sit latitûdo ejus, & quanta longitûdo ejus. Et ecce Angelus, qui loquebâtur in me, egrediebâtur, & Angelus álius egrediebâtur in occúrsum ejus. Et dixit ad eum: Curre, lóquere ad púerum istum, dicens: Absque muro habitábitur Jerúsalem præ multitúdine hóminum, & jumentôrum in médio ejus. Et ego ero ei, ait Dóminus, murus ignis in circúitu, & in glória ero in médio ejus.

℟. In conspéctu géntium nolîte timêre: Vos enim in córdibus vestris adorâte, & timête Dóminum: * Angelus enim ejus vobíscum est. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua. Angelus. Glória Patri, &c. Angelus.

In secundo Nocturno.

Aña. Cùm essem vobíscum, per

per voluntâtem Dei eram: ipsum benedícite, & cantâte ei.

Aña. Tollens se Angelus Dómini, qui præcedêbat castra Israël, ábiit post eos.

Aña. Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, & erípiet eos.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini.

℟. De manu Angeli.

Sermo S. Bernárdi Abbâtis.

In Ps. Qui hábitat, Serm. 12.

Lectio iv.

Angelis suis mandâvit de te. Mira dignátio, & verè magna diléctio charitâtis. Quis enim? Quibus? De quo? Quid mandâvit? studiósè considerêmus fratres: diligénter commendêmus memóriæ hoc tam grande mandâtum. Quis enim mandâvit? cujus sunt Angeli? cujus mandátis obtémperant? cujus obédiunt voluntáti? Nempe Angelis suis mandâvit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis. Nec cunctántur, quin étiam in mánibus tollant te. Summa ergo Majéstas mandâvit Angelis, & Angelis suis mandâvit. Illis útique sublímibus, tàm beátis, quàm próximis sibi cohæréntibus, & verè doméstícis mandâvit de te. Tu quis es? Quid est homo, quòd memor es ejus? aut fílius hóminis, quóniam réputas eum? Quasi verò non sit homo putrêdo, & fílius hóminis vermis. Sed quid putas mandâvit de te? Ut custódiant te.

℟. Vivit ipse Dóminus, * Quóniam custodîvit me Angelus ejus, & hinc eûntem, & ibi commorántem, & inde huc reverténtem. ℣. Et non permîsit me Dóminus ancíllam suam coinquinári. Quóniam.

Lectio v.

Quántam tibi debet hoc verbum inférre reveréntiam, afférre devotiônem, conférre fidúciam! reveréntiam pro præséntia, devotiônem pro benevoléntia, fidúciam pro custódia. Cautè ámbula, ut vidélicèt cui adsunt Angeli, sicut eis mandâtum est, in ómnibus viis tuis. In quovis diversório, in quóvis ángulo, Angelo tuo reveréntiam habe. Tu ne áudeas, illo præsente, quod vidénte me, non audéres. An præséntem esse dúbitas, quem non vides? Quid si audíres? Quid si tángeres? Quid si olfáceres? Vide,

quia non solo visu rerum præséntia comprobêtur.

℟. Angelus Dómini descéndit cum Azaría & sóciis ejus in fornâcem, & excússit flammam ignis de fornâce: ✱ Et non tétigit eos omníno ignis, neque contristâvit. ℣. Benedíctus Deus eôrum, qui misit Angelum suum, & éruit servos suos, qui credidérunt in eum. Et non tétigit.

Lectio vi.

In ipso ítaque, fratres, affectuósè diligâmus Angelos ejus, tanquam futúros aliquándo coherédes nostros, ínterim verò actóres & tutóres à Patre pósitos, & præpósitos nobis. Quid sub tantis custódibus timeâmus? Nec superári, nec sedúci, minùs autem sedúcere possunt, qui custódiunt nos in ómnibus viis nostris. Fidéles sunt, prudéntes sunt, poténtes sunt; quid trepidâmus? Tantùm sequâmur eos, adhæreâmus eis, & in protectiône Dei cæli commorêmur. Quóties ergo gravíssima cérnitur urgêre tentátio, & tribulátio véhemens imminêre; ínvoca custôdem tuum, ductôrem tuum, adjutôrem tuum in opportunitátibus, in tribulatiône; inclâma eum, & dic: Dómine salva nos, perîmus.

℟. In omni tribulatiône eôrum non est tribulâtus. ✱ Et Angelus faciéi ejus salvâvit eos. ℣. In dilectiône sua, & indulgéntia sua ipse redêmit eos, & portâvit eos, & elevâvit eos cunctis diêbus sæculi. Et Angelus. Glória Patri, &c. Et Angelus.

In tertio Nocturno.

Aña. Misit Dóminus Angelum suum, qui percússit omnem virum robústum, & bellatôrem, & Príncipem exércitûs regis Assyriôrum.

Aña. Adorâte Dóminum omnes Angeli ejus, audîvit, & lætâta est Sion.

Aña. Benedícite Dómino omnes Angeli ejus, poténtes virtûte, faciéntes verbum illîus, ad audiéndam vocem sermônum ejus.

℣. In conspéctu Angelôrum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorâbo ad templum sanctum tuum, & confitêbor nómini tuo.

Lé-

Léctio S. Evangélii secúndùm Matthæum.

Cap. 18.

Lectio vii.

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno cælorum? Et réliqua.

Homilîa S. Juliáni Archiepíscopi Toletáni.

Ex lib. 13. *Prognósticon,*

Cap. 55.

Christum dixísse in Evangélio légimus: Vidête ne contemnâtis unum de pusíllis istis. Dico enim vobis, quia Angeli eôrum semper vident fáciem Patris mei, qui in cælis est. Sicut ergo illi vident, ita & nos visúri sumus; sed necdum vidêmus. Propter quod ait Apóstolus: Vidêmus nunc per spéculum in ænígmate, tunc autem fácie ad fáciem. Præmium ítaque nobis Fídei vísio ista servâtur, de qua & Joánnes Apóstolus lóquitur: Cum apparúerit, símiles ei érimus, quóniam vidébimus eum, sícuti est. Fácies autem Dei manifestátio ejus intelligénda est, non áliquod tale membrum, quale nos habêmus in córpore, quod útique isto nómine nuncupâmus. Símiles ergo tunc Angelis érimus, quia sicut illi vident, ita nos Deum post resurrectiônem vidébimus.

℟. Machabæus, & qui cum eo erant, cognovérunt expugnári præsídia: * Cum fletu & lácrymis rogábant Dóminum, & omnis turba simul, ut bonum Angelum mitteret ad salûtem Israël. ℣. Cum páritèr prompto ánimo procéderent Jerosólymis, appáruit præcédens eos eques in veste cándida. Cum fletu.

Ejúsdem S. Juliáni in Antichimenon,

Lib. 2. Resp. 9.

Lectio viii.

Quómodo Christus in Evangélio dicit, Angeli eôrum in cælis semper vident fáciem Patris mei; cùm Páulus è contra videâtur dícere, Nonne omnes sunt administratórii Spíritus in ministérium missi, propter eos, qui hereditâtem cápiunt salûtis? Si semper assístunt, quómodo extériùs

 mit-

mitti dicúntur ? Si Angeli Conditôris aspéctum exeúntes amítterent, nec jacéntes erígere, nec ignorántibus vera nuntiâre potuíssent. Et mittúntur ergo, & assístunt, quia & ad nos spirituáli præséntiâ foras éxeunt ; & tamen ibi se, unde recessérunt, per intérnam contemplatiônem servant.

℟. Tu Dómine, qui misísti Angelum tuum sub Ezechía rege Juda, & interfecísti de castris Senácherib centum octogínta quinque míllia : * Et nunc Dominâtor cælôrum, mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timôre & tremôre magnitúdinis bráchii tuí.

℣. Ut métuant, qui cum blasphémia véniunt advérsus sanctum pópulum tuum. Et nunc. Glória Patri, &c. Et nunc.

Si hoc festum vénerit in Quradragésima, nona léctio légitur de Féria tunc occurrénte; álio témpore légitur sequens.

Ejúsdem S. Juliáni in Prognósticon,

Lib. 1. cap 10.

LECTIO IX.

Cùm imminénte morte, ánimæ à córpore separántur, Angelos ibi adésse faténdum est, qui exeúntes à corpóribus ánimas justôrum suscípiant, & piôrum receptáculis introdúcant. Unde cùm in Evangélio méntio dívitis, & Lázari páuperis agerêtur, sic scriptum est : Cóntigit mori ínopem, & illum deférri ab Angelis in sinum Abrahæ. Qua senténtia veríssimè confirmâmur, quòd in separatiône sanctârum animârum & egréssu à córpore, Angelôrum semper habeántur excúbiæ.

Te Deum laudâmus, &c.

AD LAUDES ET PER HORAS.

Aña. Angelis suis Deus mandâvit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

Psalm. Dóminus regnâvit, *cum réliquis de Domínica.*

Aña. Laudêmus Dóminum, quem laudant Angeli, quem Chérubim, & Séraphim,

phim, Sanctus, Sanctus, Sanctus, proclámant.

Aña. Angeli eôrum semper vident fáciem Patris mei, qui est in cælis.

Aña. Benedíctus Deus, qui misit Angelum suum, & éruit servos suos, qui credidérunt in eum.

Aña. Laudâte Deum omnes Angeli ejus, laudâte eum omnes virtútes ejus.

Capitulum.

Exod. 23. d

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcêdat te, & custódiat in via, & introdûcat in locum, quem paravi. Obsérva eum, & audi vocem ejus.

Hymnus.

Æterne Rector síderum,
Qui, quidquid est, poténtiâ
Magnâ creásti; nec regis
Minôre providéntia:

Adésto supplicántium
Tibi reôrum cœtui;
Lucísque sub crepúsculum
Lucem novam da méntibus.

Tuúsque nobis Angelus
Eléctus ad custódiam
Hîc adsit, à contágio
Ut críminum nos prótegat.

Nobis dracônis æmuli
Versútias extérminet;
Ne rete frauduléntiæ
Incáuta nectat péctora.

Metum repéllat hóstium
Nostris procul de finibus;
Pacem procûret cívium,
Fugétque pestiléntiam.

Deo Patri sit glória,
Qui, quos redêmit Fílius,
Et Sanctus unxit Spíritus,
Per Angelos custódiat.

Amen.

℣. In conspéctu Angelôrum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorâbo ad templum sanctum tuum, & confitêbor nómini tuo.

Ad Benedictus.

Aña. Revérsus est Angelus, qui loquebâtur in me, & suscitâvit me, quasi virum qui suscitâtur à somno suo.

Oratio.

Deus, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignâris: largîre supplícibus tuis, & eôrum semper protectiône defendi, & ætérna societâte gaudêre. Per Dóminum.

In Quadragésima fit commemorátio Fériæ.

Ad

AD TERTIAM.

Aña. Laudêmus Dóminum. *Capitulum*, Ecce ego.

℟. *brev.* Stetit Angelus, * Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuríbulum áureum in manu sua. Juxta. Glória Patri, &c. Stetit.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini.

℟. De manu Angeli.

AD SEXTAM.

Aña. Angeli eôrum.

CAPITULUM.

Exod. 23. d

Nec contemnéndum putes: quia non dimíttet cum peccáveris, & est nomen meum in illo.

℟. *brev.* Ascéndit fumus arómatum * In conspéctu Dómini. Ascéndit. ℣. De manu Angeli. In conspéctu. Glória Patri, &c. Ascéndit.

℣. In conspéctu Angelôrum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorâbo ad templum sanctum tuum, & confitêbor nómini tuo.

AD NONAM.

Aña. Laudâte Deum.

CAPITULUM.

Exod. 23. c.

Quòd si audíeris vocem ejus, & féceris ómnia quæ loquor, inimîcus ero inimícis tuis, & afflîgam affligéntes te. Præcedétque te Angelus meus.

℟. *brev.* In conspéctu Angelôrum, * Psallam tibi Deus meus. In conspéctu, ℣. Adorâbo ad templum sanctum tuum, & confitêbor nómini tuo. Psallam tibi. Glória Patri, &c. In conspéctu.

℣. Adorâte Deum.

℟. Omnes Angeli ejus.

IN SECUNDIS VESPERIS.

Añæ. Angelis suis, *cum réliquis de Láudib. Psalm.* Dixit Dóminus, *cum réliquis de Domínica, & loco últimi, dícitur Psalm.* Confitêbor tibi Dómine in toto corde meo, * Quóniam audísti, *de Vésperis in Fer.* VI. *Capitulum, Hymnus, & ℣. ut in primis Vésperis.*

Ad Magnificat, Aña.

Sancti Angeli Custódes nostri, defêndite nos in prælio, ut non pereâmus in treméndo judício.

Orátio. Deus qui ineffábili, *&c. ut supra.*

Deinde fit commemorátio S. Rudesíndi Ep. & Conf. *& póstea Feriæ, si occúrrat.*

Missa ut in Missáli in die II. Octóbris, omisso Allelúia, *& ℣. post Graduâle; cujus loco dícitur Tractus de Missa votiva Angelòrum.* Credo.

Die II. Martii.

Hódie fit de S. Rudesíndo Epíscopo & Confes. dup. *in Hisp. (dies heri) tanquam dies própria, ut in próp. SS. Hisp. Si celebrêtur in Quadragésima, erunt lect. 1. Noct.* Fidêlis sermo *de Communi. 9. lect. Homil. Fériæ, & commemor. in Láudib. Missa (in hac Evangélium últimum Fériæ), & Vésperis.*

Die VIII. Martii.

Festum Ss. Juliáni, & Serráni Pontíficum, & Confessôrum, dup. *in totâ Diœcési.*

Omnia ut in commúni Confes. Pontíficis absque ulla mutatiòne, præter hic expréssa.

In secúndis Vésperis S. Thomæ Aquinâtis, *à Capítulo fit de* Ss. Juliáno & Serráno.

Oratio.

Fiat Ecclésia tua, quæsumus Dómine Deus, sanctôrum tuôrum Confessôrum, paritérque Pontíficum Juliáni, & Serráni natalítiis devótior: & quos gaudet habuísse, séntiat adjutóres. Per Dóminum.

Et fit com. S. Thomæ, *&* Fériæ, *si occúrrat.*

In primo Nocturno.

Lectiònes de libro Ecclesiástici, Laudêmus viros gloriósos, *de commúni Conf. Pontíficis 2. loco.*

In secundo Nocturno.

Ex Felìce Archiepíscopo Toletáno, qui ejus vitam conscrípsit: & nonnúllis Concíliis Toletánis, quibus præfuit Juliânus.

Lectio IV.

Juliânus civis, & Archiepíscopus Toletânus, sanctitâte, & doctrína flóruit témpore Wambæ,

bæ, ac Ervígii Regum: qui in prima infántia educâtus ad pietâtem, ubi ætâte aliquántulum procéssit, Eugénio tértio Archiepíscopo Toletáno erudiéndus à paréntibus tráditur. Cujus índole Eugénius delectâtus, in omni génere doctrínæ Juliânum diligénter exércuit. Itaque gradâtim ad Archiepiscopâtus Toletáni dignitâtem ascéndit. Quo in múnere strénuum se, & vigilántem Dómini minístrum præbuit. Ex assiduitâte orándi, atque efficátia, Deo familiâris efféctus, ex ejus se consórtio haurîre dicêbat, si quid ipse utíliter in álios effúnderet. Exímia item in páuperes benignitâte excélluit: quos ceu parens quidam re ac consílio fovêbat. In componéndis ex æquo & bono lítibus, & controvérsiis dívitum diriméndis, singulári fuit prudéntia, ac dexteritâte.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & fílius iniquitâtis non nocêbit ei. Manus enim.

LECTIO V.

Divíni cultus perstudiôsus, sacrarúmque cæremoniârum díligens ac tenax conservâtor, Ecclesiásticum Officium, vítio témporum corrúptum, suæ integritáti restítuit, ac novis precatiónibus ornâvit: de quo librum étiam scripsit, quem Toletánæ Ecclésiæ relíquit. Concíliis Toletánis nonnúllis præfuit: in quibus, Leône secúndo, & Benedícto item secúndo Pontifícibus máximis hortántibus, & Petrum notárium Regionárium sanctæ Románæ Ecclésiæ legâtum Apostólicum ea de causa in Hispániam mitténtibus, Concílii Constantinopolitáni tértii decrétis magna veneratiône suscéptis, Appollinâris, & Monothelitârum erróres públicè damnáti sunt. Ad quos explodéndos pénitùs, & Cathólicam de duâbus in Christo natúris doctrînam veheméntiùs stabiliéndam, Juliânus cum Concílio ómnibus númeris absolútam confessiônem édidit. In qua, rejécta pernitiósa hæreticôrum calliditâte, húmilem Christi simplicitâtem éxplicans, ait: Neque enim quæ sunt divîna, discutiénda sunt, sed credénda.

Non

Non enim se Deus discúte- re jubet, sed crédere. Credâmus igitur, non sénsibus nostris, sed indubitátis Conciliôrum priscôrum dogmátibus jam præmíssis.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltávi eléctum de plebe mea; ✻ Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio iv.

Scripsit Prognósticon librum, Juliânum Pomérium imitâtus: múltaque ália, & solúta oratiône, & astrícta númeris: quæ à Felîce Juliáni in Episcopátu successôre ejus in vita numerántur: quibus eruditiônem suam posteritáti commendâvit. Postrémò beâtus Juliânus sanctimónia, & sapiéntia florens, cùm Toletánæ Ecclésiæ præfuísset annos decem, ex hujus mortalitâtis ergástulo ad cæléstem pátriam evocatus est octávo Idus Mártias, & in æde Sanctæ Leocádiæ sepúltus. Sed in Hispániæ vastatiône in Ecclésiam sancti Salvatôris Oveténsem translâtus est, ubi simul cum córpore beáti Serráni Epíscopi & Confessôris magna cum devotiône cólitur.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operâtus est, & omnis terra doctrína ejus replêta est. ✻ Ipse intercêdat pro peccátis ómnium populôrum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervênit ad cæléstia regna. Ipse intercêdat. Glória Patri &c. Ipse intercêdat.

In tertio Nocturno.

Homilîa S. Gregórii Papæ in Evangelium Homo péregrè proficíscens. *Si celebrêtur in Quadragésima, erit 9. lect. Hom. Fériæ occurréntis.*

Missa Státuit *de commúni cum Oratiône Offícii, Credo. Orát. Postcom.* in plurâli. *Com. Fériæ si occúrrat, & Evangélium últimum.*

Festo S. Joánnis de Deo Conf. *assignâta est in perpétuum dies* xi. *hujus.*

Die xi. Martii.

Hodie fit de S. Joánne de Deo Conf. dup. *tanquam dies própria, ut in Breviár. die* viii. *huj. vel in próp. Ss. Hispániæ.*

Die xiii. Martii.

Festum Ss. Reliquiârum Oveténsium, dup. i. clas. *in tota Diœcési.*

Si occúrrat in Domínica prima Quadragésimæ, vel in Domínica Passiónis, transfértur in diem XVI. hujus. Si verò in Domínica 2. vel 3. aut 4. Quadragés. tunc fit de eo cum comm. Domínicæ.

AD VESPERAS.

Aña. Córpora sanctórum. *cum réliquis de Láudib.* Psalm. *Dixit Dóminus, cum áliis de Domínica, & loco última, Psalm.* Laudáte Dóminum omnes Gentes.

CAPITULUM.

Sap. 3.

Justórum ánimæ in manu Dei sunt, & non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori; illi autem sunt in pace.

HYMNUS.

Placáre, Christe, sérvulis,
Quibus Patris cleméntiam
Tuæ ad Tribúnal grátiæ
Patróna Virgo póstulat.
Et vos beáta, per novem
Distíncta gyros, Agmina,
Antíqua cum præséntibus,
Futúra damna péllite.
Apóstoli cum Vátibus
Apud sevérum Júdicem
Véris reórum flétibus,
Expóscite indulgéntiam.
Vos purpuráti Mártyres,
Vos candidáti præmio
Confessiónis, exules
Vocáte nos in pátriam.
Choréa casta Vírginum,
Et quos erémus íncolas
Transmísit astris, Cælitum
Locáte nos in sédibus,
Auférte gentem pérfidam
Credéntium de fínibus;
Ut unus omnes únicum
Ovíle nos Pastor regat.
Deo Patri sit glória,
Natóque Patris único,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi.
℟. Et gloriámini omnes recti corde.

AD MAGNIFICAT AÑA.

Istórum est enim regnum Cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, & pervenérunt ad præmia regni, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

ORATIO.

Propitiáre, quæsumus Dómine, nobis fámulis tuis, per horum Sanctórum tuórum, (quorum relíquiæ in hac con-

ti-

tinéntur Ecclésia) mérita gloriôsa: ut eôrum pia intercessiône ab ómnibus semper muniâmur advérsis. Per Dóminum.

Deínde fit commemor. Fér. Nihil de S. Gregório P. & C.

Ad Matutin. Invitatorium.

Regem regum Dóminum venîte adorêmus: ✱ Quia ipse est corôna Sanctôrum ómnium. *Psalm.* Venîte, exsultêmus, &c. *Hymnus*, Placâre, Christe, *ut supra.*

In primo Nocturno.

Aña. Novit Dóminus viam justôrum, qui in lege ejus meditántur die, ac nocte.

Psalm. I.

Beâtus vir, qui non ábiit in consílio impiôrum, & in via peccatôrum non stetit, ✱ & in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas ejus, ✱ & in lege ejus meditábitur die, ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quod plantâtum est secus decúrsus aquârum, ✱ quod fructum suum dabit in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet; ✱ & ómnia quæcúmque fáciet prosperabúntur.

Non sic ímpii non sic: ✱ sed tanquam pulvis, quem prójicit ventus à fácie terræ.

Ideò non resúrgent ímpii in judício: ✱ neque peccatóres in concílio justôrum.

Quóniam novit Dóminus viam justôrum: ✱ & iter impiôrum perîbit. Glória Patri, &c.

Aña. Novit Dóminus viam justôrum, qui in lege ejus meditántur die, ac nocte.

Aña. Mirificâvit Dóminus Sanctos suos, & exaudîvit eos clamántes ad se.

Psalm. 4.

Cum invocârem exaudîvit me Deus justítiæ meæ: ✱ in tribulatiône dilatásti mihi.

Miserêre mei, ✱ & exáudi oratiônem meam.

Filii hóminum úsquequò gravi corde? ✱ ut quid dilígitis vanitâtem, & quæritis mendácium?

Et scitôte quóniam mirificâvit Dóminus sanctum suum: ✱ Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, & nolîte peccâre: ✱ quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus

vestris compungímini.

Sacrificâte sacrifícium justítiæ, & sperâte in Dómino: * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signâtum est super nos lumen vultus tui Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei sui, * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum, * dórmiam, & requiéscam.

Quóniam tu Dómine singuláritèr in spe * constituísti me.

Aña. Mirificâvit Dóminus Sanctos suos, & exaudîvit eos clamántes ad se.

Aña. Admirábile est nomen tuum Dómine, quia glória, & honôre coronásti Sanctos tuos, & constituísti eos super ópera mánuum tuârum.

PSALM. 8.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam elevâta est magnificéntia tua * super cælos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecisti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimîcum & ultôrem.

Quóniam vidêbo cælos tuos ópera digitôrum tuôrum: * lunam, & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulò mínus ab Angelis, glória, & honôre coronásti eum: * & constituísti eum super ópera mánuum tuârum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves, & boves univérsas, ínsuper & pécora campi:

Vólucres cæli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. Admirábile est nomen tuum Dómine, quia glória, & honôre coronásti Sanctos tuos, & constituísti eos super ópera mánuum tuârum.

℣. Lætámini in Dómino, & exsultâte justi.

℞. Et gloriámini omnes recti corde.

De Epistola Beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

LECTIO. I.

Cap. 8. c.

Fratres: Debitóres sumus non

non carni, ut secúndùm carnem vivâmus. Si enim secúndùm carnem vixerîtis, moriémini: si autem spíritu facta carnis mortificaverîtis, vivêtis. Quicúmque enim spíritu Dei agúntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepístis spíritum servitûtis íterum in timôre, sed accepístis spíritum adoptiônis Filiôrum, in quo clamâmus: Abba (Pater.) Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus fílii Dei. Si autem filii, & herédes: herédes quidem Dei, coherédes autem Christi; si tamen compátimur, ut & conglorificêmur. Exístimo enim, quòd non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futûram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam exspectátio creatúræ revelatiônem filiôrum Dei exspéctat.

℟. Venit Simon Petrus, & introîvit in Christi Dómini monuméntum: ✳ Et vidit linteámina pósita, & sudárium, quod fuit super caput ejus. ℣. Non erat sudárium cum linteamínibus pósitum, sed separâtim involûtum in unum locum. Et vidit.

Lectio II.

Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis qui secúndùm propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscîvit, & prædestinâvit confórmes fieri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinâvit, hos & vocâvit: & quos vocâvit, hos & justificâvit: quos autem justificâvit, illos & glorificâvit. Quid ergo dicêmus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam próprio Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum: quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donâvit? Quis accusâbit advérsus eléctos Dei? Deus, qui justíficat, quis est qui condémnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, immò qui & resurréxit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro nobis.

℟. Nésciens mater Virgo virum, péperit sine dolôre ✳ Salvatôrem sæculôrum, ipsum Regem Angelôrum, sola virgo lactâbat úbere de cælo pleno. ℣. Domus púdici péctoris templum repénte fit Dei: intácta nésciens virum, verbo concêpit fílium. Salvatôrem.

Lectio III.

Quis ergo nos separâbit à charitâte Chrísti? tribulátio, an angústia, an fames, an núditas, an perículum, an persecútio, an gládius? (sicut scriptum est: Quia propter te mortificâmur tota die, æstimáti sumus sicut oves occisiônis.) Sed in his ómnibus superâmus propter eum, qui diléxit nos. Certus sum enim: quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principâtus, neque Virtútes, neque instántia, neque futûra, neque fortitûdo, neque altitûdo, neque profúndum, neque creatûra ália póterit nos separâre à charitâte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. In conspéctu Angelôrum psallam tibi, * Et adorâbo ad templum sanctum tuum, & confitêbor nómini tuo Dómine. ℣. Super misericórdia tua, & veritâte tua, quóniam magnificásti super nos nomen sanctum tuum. Et adorâbo. Glória Patri, &c. Et adorâbo.

In secundo Nocturno.

Aña. Dómine, qui operáti sunt justítiam, habitábunt in tabernáculo tuo, & requiescent in monte sancto tuo.

Psalm. 14.

Dómine, quis habitâbit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operâtur justítiam.

Qui lóquitur veritâtem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accêpit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes autem Dóminum glorificat.

Qui jurat próximo suo, & non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usûram, & múnera super innocéntem non accêpit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Aña. Dómine, qui operáti sunt justítiam, habitábunt in tabernáculo tuo, & requiéscent in monte sancto tuo.

Aña. Hæc est generátio quæréntium Dóminum, quæréntium fáciem Dei Jacob.

Psalm.

Psalm. 23.

Dómini est terra, & plenitûdo ejus, * orbis terrârum, & univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundâvit eum: * & super flúmina præparâvit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, & mundo corde, * qui non accêpit in vano ánimam suam, nec jurâvit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiônem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introîbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introîbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus Virtûtum ipse est Rex glóriæ.

Aña. Hæc est generátio quæréntium Dóminum, quæréntium fáciem Dei Jacob.

Aña. Lætámini in Dómino & exsultâte justi, & gloriámini omnes recti corde.

Psalm. 31.

Beáti, quorum remíssæ sunt iniquitátes: * & quorum tecta sunt peccâta.

Beâtus vir, cui non imputâvit Dóminus peccâtum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamârem tota die.

Quóniam die, ac nocte gravâta est super me manus tua: * convérsus sum in ærúmna mea dum configitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci; * & injustítiam meam non abscóndi.

Dixi: Confitêbor advérsum me injustítiam meam Dómino: * & tu remisísti impietâtem peccáti mei.

Pro hac orâbit ad te omnis sanctus, * in témpore oportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquârum multârum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatiône, quæ circúmdedit me: * exsultátio méa érue me à circumdántibus me.

In

Intelléctum tibi dabo, & ínstruam te in via hac, qua gradiêris: * firmâbo super te óculos meos.

Nolîte fíeri sicut equus, & mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo, & fræno maxíllas eôrum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatôris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exsultâte justi, * & gloriámini omnes recti corde.

Aña. Lætámini in Dómino, & exsultâte justi, & gloriámini omnes recti corde.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei.

℟. Et delectént ur in lætítia.

Ex Breviário antiquo Ovetênsi.

LECTIO IV.

Anno ab Incarnatiône Dómini nostri Jesu Christi millésimo septuagésimo quinto, Ildephónso Ferdinándi Regis magni filio in Hispánia regnánte, & apud Ovetênsem sancti Salvatôris Episcopâlem sedem (cui Tiriânus præerat Epíscopus) quadragesimâle jejúnium cum sorôre sua Urraca, & Epíscopis inibì degéntibus celebránte, novum quid ac mirábile cóntigit. Síquidem in ejúsdem sancti Salvatôris templo erat arca quædam de lignis imputribílibus ab Apostolôrum discípulis constrúcta, ac Dei magnálibus reférta, & Jerosólymis per Africam, & novam Carthágin em Híspalim, & ab Híspali Tolêtum, & à Toléto in Asturias, & in prædíctum templum sancti Salvatôris Oveténse delâta. Mediánte jam quadragésima, tértio idus Mártii, féria sexta circa horam tértiam Missârum solémnia Epíscopi cum Presbyteris & Clero celebrántes, in cánticis spirituálibus, & divínis láudibus, & magna pópuli devotiône cum Rege ad locum, ubi arca erat recóndita, pervenérunt. Quam levi motu cum reveréntia & timôre aperiéntes, capséllas quamplúrimas áureas, argénteas, & ebúrneas inibì reclúsas invenérunt. Quas summa cum reveréntia aperiéntes, thesáuros cæléstes, Sanctôrum scílicet Relíquias própriis rótulis superscríptas conspexérunt.

℟. Præcúrsor Dómini venit, de quo ipse testâtur: * Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptísta. ℣. Hic est

est Prophêta, & plusquam Prophêta, de quo Salvâtor ait: Nullus major.

Lectio v.

Visum est in arca Sudárium, quod Joánnes refert in Evangélio pósitum super caput Dómini Jesu, quando jácuit in sepúlcro, & magna pars síndonis, qua sanctum corpus involûtum ibi fuit, & de vera Cruce ipsîus: spinæ quinque de his, quæ reverendissimo ejus cápiti fuérunt affíxæ, quibus póstea áliæ tres accessérunt: de túnica ejúsdem Dómini nostri, & de ejus sepúlcro. De pannis, quibus, dum nascerêtur, involûtus jácuit in præsépio. De pane Cœnæ Dómini. De Manna, quo Deus in Desérto pópulum suum pavit. Crux argéntea cum effígie ebúrnea ejúsdem Dómini nostri crucifíxi à Nicodémo ejus discípulo sculpta, cujus crucis pedi est affixum fragméntum Crucis Domínicæ. Magnum fragméntum cutis sancti Bartholomæi Apóstoli, qua fuit excoriâtus. Pállium, quod in Ecclésia Toletána (dum illic Præsulem ágeret Ildephónsus) beâta Virgo eum índuit. De lacte ejúsdem Vírginis Maríæ, & de ejus capíllis & véstibus, & monílibus áureis. Unum ex trigínta denáriis, quos propter traditiônem Dómini Júdas accêpit. Invenérunt étiam ampúllam parvam cum cruôre Dómini, à látere cujúsdam imáginis Christi fusso; síquidem Judæi própria obstináti perfídia prædíctam imáginem ligno affixérunt, & láncea ejus latus perfodérunt, à quo sanguis & aqua exîvit.

℞. Isti sunt, qui vivéntes in carne plantavérunt Ecclésiam sánguine suo, * Cálicem Dómini bibérunt, & amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exîvit sonus eôrum, & in fines orbis terræ verba eôrum. Cálicem Dómini.

Lectio vi.

Erat ínsuper in eâdem arca de pállio Elíæ Prophétæ: de fronte & capíllis beáti Joánnis Baptístæ: de capíllis, quibus beâta Marîa Magdalêna extérsit pedes Dómini: de óssibus sanctôrum Innocéntium, & de óssibus trium puerôrum, scílicèt Ananíæ, Azaríæ, & Misaêlis: de lápide, quo clausum est sepúlcrum Dómini, Segméntum virgæ, qua Moyses mare Rubrum fíliis Israël divîsit. Vestiméntum beáti Tyr-

Tyrsi Mártyris: áltera ex mánibus sancti Stéphani Protomártyris: Sandálium dextrum beáti Petri Apóstoli, & ánulus de caténis ejus: bursæ sanctôrum Petri, & Andréæ Apostolôrum. Relíquiæ duódecim Apostolôrum, & de óssibus Prophetârum, & sanctôrum Lauréntii, Sebastiáni, Cosmæ, & Damiáni, Stéphani Papæ & Mártyris, Martíni Epíscopi, & Euláliæ Barcinonénsis. Quàm plúrimæ étiam relíquiæ sanctôrum Prophetârum, Mártyrum, Confessôrum, atque Vírginum, quarum númerum ipse Deus scit. Extra prædíctam arcam habêtur unum fólium arúndinis quam mílites posuérunt in manu Dómini, quando ei pro ludíbrio imposuérunt corônam spíneam: Crux áurea gemmis vel lapídibus conspérsa, & Angelôrum ministério fabricâta. Una ex sex hydriis, in quibus Dóminus Jesus aquam in vinum convértit in Cana Galilææ. Córpora sanctôrum Mártyrum Eulógii, & Lucrétiæ, & sanctæ Euláliæ Emeriténsis vírginis & Mártyris, & sancti Pelágii Mártyris, & sancti Vincéntii Mártyris, atque Abbâtis monastérii sancti Cláudii Legionénsis: & corpus sancti Juliáni Pontíficis Toletáni, & sancti Serráni Epíscopi: & relíquiæ sanctæ Liberátæ Vírginis & Mártyris, sancti Petri Regaláti, & sanctôrum Mártyrum Grati, & Luciáni. Est étiam ibi crux lígnea láminis áureis tecta, & pretiósis lapídibus conspérsa, qua pro vexíllo infans Pelágius in præliis, quæ advérsus Saracénos gerêbat, est usus, cùm eos ab his fínibus profligâret, & Hispániam ab eôrum subjectiône liberâret: unde nomen crux Victóriæ accêpit. Hæc sunt præsídia, quibus miséricors Deus Ecclésiam Oveténsem armâvit in universáli vastatiône Hispániæ à Saracénis, velutì arcem suæ Fídei & Religiônis. Quorum sanctôrum précibus & méritis sic fidéles decertárunt, ut univérsam Hispániam, jam in últimis agéntem, instauráverint, & odôre suavíssimo Jesu Christi Dómini perfúderint. Gutérrius verò ejúsdem civitâtis Oveténsis Epíscopus státuit, ut prædíctæ Reliquiârum inventiônis festus dies ánnua celebritâte in sua Oveténsi Diœcési solémniter à Christi fidélibus celebrarêtur.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti certâmen habuístis,

tis, * Mercêdem labôris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. Mercêdem labôris. Glória Patri. Mercêdem.

In tertio Nocturno.

Aña. Timête Dóminum omnes sancti ejus, quóniam nihil deest timéntibus eum: ecce óculi Dómini super justos, & aures ejus ad preces eôrum.

Psalm. 33.

Benedîcam Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, & læténtur.

Magnificâte Dóminum mecum: * & exaltêmus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudîvit me; * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini: * & fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamâvit, & Dóminus exaudîvit eum: * & ex ómnibus tribulatiónibus ejus salvâvit eum.

Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: * & erípuit eos.

Gustâte, & vidête quóniam suâvis est Dóminus: * beâtus vir, qui sperat in eo.

Timête Dóminum omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt, & esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte filii, audîte me: * timôrem Dómini docêbo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidêre bonos?

Próhibe linguam tuam à malo; * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum: * inquîre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos: * & aures ejus in preces eorum.

Vúltus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terra memóriam eôrum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudîvit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eôrum liberâvit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde: * & húmiles spíritu salvâbit.

Multæ tribulatiónes justô-

stôrum : ✱ & de ómnibus his liberâbit eos Dóminus.

Custôdit Dóminus ómnia ossa eôrum : ✱ unum ex his non conterêtur.

Mors peccatôrum péssima : ✱ & qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servôrum suôrum : ✱ & non delínquent omnes, qui sperant in eo.

Aña. Timête Dóminum omnes Sancti ejus, quóniam nihil deest timéntibus eum; ecce óculi Dómini super justos, & aures ejus ad preces eôrum.

Aña. Dómine, spes Sanctôrum, & turris fortitúdinis eôrum, dedísti hereditâtem timéntibus nomen tuum, & habitábunt in tabernáculo tuo in sæcula.

Psalm. 60.

Exáudi Deus deprecatiônem meam : ✱ inténde oratióni meæ.

A finibus terræ ad te clamávi : ✱ dum anxiarêtur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea : ✱ turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitâbo in tabernáculo tuo in sæcula : ✱ prótegar in velaménto alârum tuârum.

Quóniam tu Deus meus exaudísti oratiônem meam : ✱ dedísti hereditâtem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies : ✱ annos ejus usque in diem generatiônis, & generatiônis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei : ✱ misericórdiam, & veritâtem ejus quis requîret?

Sic Psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi : ✱ ut reddam vota mea de die in diem.

Aña. Dómine, spes Sanctôrum, & turris fortitúdinis eôrum, dedísti hereditâtem timéntibus nomen tuum, & habitábunt in tabernáculo tuo in sæcula.

Aña. Qui dilígitis Dóminum, lætámini in Dómino, & confitémini memóriæ sanctitâtis ejus.

Psalm. 96.

Dóminus regnâvit, exsúltet terra : ✱ læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calîgo in circúitu ejus : ✱ justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcêdet, ✱ & inflammâbit in circúitu inimícos ejus.

Il-

Illuxérunt fulgura ejus orbi terræ: * vidit, & commôta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini: * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília: * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adorâte eum omnes Angeli ejus: * audîvit, & lætâta est Sion.

Et exsultavérunt filiæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltâtus es super omnes deos.

Qui diligitis Dóminum, odîte malum: * custôdit Dóminus ánimas sanctôrum suôrum, de manu peccatôris liberâbit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino: * & confitémini memóriæ sanctificatiônis ejus.

Aña. Qui diligitis Dóminum, lætámini in Dómino, & confitémini memóriæ sanctitâtis ejus.

℣. Justi autem in perpétuum vivent.

℟. Et apud Dóminum est merces eôrum.

Léctio S. Evangélii secúndùm Matthæum.

Cap. 5.

Lectio VII.

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, & cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

Homilîa S. Augustíni Epíscopi.

Libro I. *de Serm. Dñi. in monte sub initium.*

Si quæritur, quid signíficet mons, benè intellígitur significâre majôra præcépta justítiæ, quia minôra erant, quæ Judæis data sunt. Unus tamen Deus per sanctos Prophétas, & fámulos suos secúndùm ordinatíssimam distributiônem témporum, dedit minôra præcépta pópulo, quem adhuc timôre alligári oportêbat; & per Fílium suum majôra pópulo, quem caritâte jam liberári convénerat. Cum autem minôra minóribus, majôra majóribus dantur, ab eo dantur, qui so-

lus novit congruéntem suis tempóribus géneri humáno exhibêre medicînam.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti ; & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum, quando revertâtur à núptiis. ℣. Vigilâte ítaque, quia nescîtis qua hora Dóminus vester ventûrus sit. Et vos.

Lectio viii.

Nec mirum est, quòd dantur præcépta majôra propter regnum cælôrum, & minôra data sunt propter regnum terrênum, ab eôdem uno Deo, qui fecit cælum & terram. De hac ergo justítia, quæ major est per Prophêtam dícitur: Justítia tua sicut montes Dei. Et hoc benè significat, quòd ab uno magístro, solo docéndis tantis rebus idóneo, docêtur in monte. Sedens autem docet, quod pértinet ad dignitâtem magistérii. Et accédunt ad eum discípuli ejus, ut audiéndis illîus verbis, hi essent étiam córpore vicinióres, qui præcéptis adimpléndis étiam ánimo propinquábant. Et apériens os suum docêbat eos, dicens. Ista circumlocútio, qua scríbitur: Et apériens os suum : fortássis ipsa morâ comméndat aliquánto longiôrem futûrum esse sermônem. Nisi fortè non vacet, quòd tunc eum dictum est aperuísse os suum, quòd ipse in lege véteri aperîre solêret ora Prophetârum.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exîte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines aptâte vestras lámpades. Ecce sponsus. Glória Patri. Ecce.

Léctio nona de Homilía Fériæ occurréntis, vel de Domínica, si occúrrat, ut supra dícitur.

Ad Laudes et per Horas.

Aña. Córpora sanctôrum in pace sepúlta sunt, & vivent nómina eôrum in ætérnum.

Psalm. Dóminus regnâvit, *cum réliquis de Domínica.*

Aña. Congregâte Dómino sanctos ejus, qui ordinavérunt testaméntum ejus super sacrifícia.

Aña. Redemísti nos Dómine Deus in sánguine tuo ex omni tribu, & lingua, & pópulo, & natiône : & fecísti nos Deo nostro regnum.

Aña. Benedícite Dóminum omnes sancti ejus, ágite dies læ-

lætítiæ, & confitémini illi.

Aña. Hymnus ómnibus sanctis ejus fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi, glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

CAPITULUM.

Sap. 3.

Justôrum ánimæ in manu Dei sunt, & non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori; illi autem sunt in pace.

HYMNUS.

Salûtis ætérnæ Dator
Jesu redémptis súbveni:
Virgo parens cleméntiæ
Dona salûtem sérvulis.

Vos Angelôrum míllia,
Patrúmque cœtus, ágmina
Canôra Vatum: vos reis
Precámini indulgéntiam.

Baptista Christi prævius,
Summíque cæli Cláviger,
Cum ceteris Apóstolis
Nexus resólvant críminum.

Cohors triúmphans Mártyrum,
Almus Sacerdôtum Chorus,
Et virginâlis Cástitas
Nostros reâtus ábluant.

Quicúmque in alta síderum
Regnâtis aula Príncipes,
Favête votis súpplicum,
Qui dona cæli flágitant.

Virtus, honor, laus, glória,
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Parácleto
In sæculôrum sæcula.
Amen.

℣. Exsultábunt sancti in glória.

℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

AD BENEDICTUS.

Aña. Te gloriôsus Apostolôrum chorus, te Prophetârum laudábilis númerus, te Mártyrum candidâtus láudat exércitus, te omnes Sancti & elécti voce confiténtur unánimes, beâta Trínitas, unus Deus.

ORATIO.

Propitiâre, quæsumus Dómine, nobis fámulis tuis per horum sanctôrum tuôrum (quorum relíquiæ in hac continéntur Ecclésia) mérita gloriôsa; ut eôrum pia intercessiône ab ómnibus semper muniâmur advérsis. Per Dóminum.

Deinde fit commemorátio Fériæ, vel Domínicæ, si occúrrat, ut supra dictum est.

AD TERTIAM.

Aña. Congregâte. *Capítul.* Justôrum, &c. *ut in Láudib.*

℟. *brev.* Lætámini in Dómino, ✱ Et exsultâte justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exsultâte. Glória Prtri. Lætámini.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei.

℟. Et delecténtur in lætítia.

AD SEXTAM.

Aña. Redemísti nos.

CAPITULUM.

Sap. 10.

Réddidit Deus mercêdem labôrum sanctôrum suôrum, & dedúxit illos in via mirábili, & fuit illis in velaménto diéi, & in luce stellârum nocte.

℟. *brev.* Exsúltent justi ✱ In conspéctu Dei. ℣. Et delecténtur in lætítia. In conspéctu. Glória Patri. Exsúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent.

℟. Et apud Dóminum est merces eôrum.

AD NONAM.

Aña. Hymnus ómnibus.

CAPITULUM.

Sap. 3.

Fulgébunt justi, & tanquam scintíllæ in arundinêto discúrrent. Judicábunt natiónes, & dominabúntur pópulis, & regnâbit Dóminus illôrum in perpétuum.

℟. *brev.* Justi autem, ✱ In perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dóminum est merces eôrum. In perpétuum. Glória Patri. Justi.

℣. Exsultábunt sancti in glória.

℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

AD VESPERAS.

Aña. De Láudibus. *Psalm.* Dixit Dóminus, *cum réliquis de Domínica, & loco últimi, Psalm.* Crédidi. *Capítulum, & Hymnus, ut in* I. *Vésperis.*

℣. Exsultábunt sancti in glória.

℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnificat, Aña.

O quàm gloriôsum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amícti stolis albis, sequúntur Agnum quocúmque íerit!

Deinde fit commemorátio de Sancta Florentína Vírgine, *& de Feria. De* Sancto Leándro Epíscopo, & Confessôre, *fit in die xv. hujus, tanquam dies próp. Missa própria, ut in fine hujus códicis.*

Die xv. Martii.

Hódie fit de Sancto Leándro Epíscopo Hispalénsi, & Confessôre dup. *in Hispánia, dies xiii. hujus, ut in própriis SS. Hispániæ; si celebrêtur in Quadragésima, fiat commemorátio Fériæ cum nona Lectiône.*

Die xviii. Martii.

In Festo Sancti Gabriêlis Archángeli dup. majus, *in Hispánia, & Diœcési. Omnia prout in fine Breviárii Románi inter festa particulária, vel in SS. Hispániæ.*

Festo S. Braúlii Epíscopi, & Confessôris, *assignâta est dies xx. hujus in perpétuum.*

Die xx. Martii.

Fit de S. Bráulio Epíscopo Cæsaraugustáno, & Confessôre dup. *in Hispánia, dies xviii. hujus. Offícium ut in própriis SS. Hispániæ.*

FESTA MAII.

Die iv.

Festum Corónæ Dómini nostri Jesu Christi dup. maj. *in tota Diœcési.*

De festo S. Mónicæ Víduæ, *fit in die xi. hujus tanquam dies própria, assignâta in perpétuum.*

Ad Vésperas ómnia dicúntur de festo Inventiônis S. Crucis *ut in Breviário; commemorátio Corónæ Dómini.*

Aña. Gaude felix mater Ecclésia, adsunt tibi nova solémnia Corónæ Domínicæ, quæ cápiti Christi pro salûte nostra fuit impósita. Allelúja.

℣. Tuam Corônam adorâmus Dómine, Allelúja.

℟. Tuum gloriôsum recólimus triúmphum, Allelúja.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípo-

tens Deus, ut qui in memóriam Passiônis Dómini nostri Jesu Christi, Corônam ejus spíneam venerâmur in terris: ab ipso glória & honôre mereâmur in cælis coronári. Per eúmdem Dóminum.

AD MATUTIN. INVITATORIUM.

Christum Regem pro nobis spinis coronâtum. ✻ Venîte adorêmus, Allelúja. *Psalm.* Venîte, exultêmus.

HYMNUS.

Æterno Regi glóriæ
Devôta laudum cántica
Fidéles solvant hódie
Pro Coróna Domínica.

Corónant Regem ómnium
Coróna contuméliæ:
Cujus nobis oppróbrium
Corônam confert glóriæ.

De spinârum acúleis
Christi Corôna pléctitur,
Qua minístris tartáreis
Mundi potéstas tóllitur.

Corôna Christi Cápitis
Sacro perfûsa sánguine
Pœnis solútis débitis,
Reos purgat à crímine.

Ut sis perénne méntibus
Paschâle Jesu gáudium:
A morte dira críminum
Vitæ renátos líbera.

Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui à mórtuis
Surréxit, ac Parácleto
In sempitérna sæcula.
Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Mílites plecténtes Corônam de spinis posuérunt super caput Jesu: & arúndinem in déxtera ejus, Allelúja.

Psalmi in tribus Noctúrnis, ut in festo próximè præcedénti in Breviário, Inventiônis Sanctæ Crucis, *& in quólibet dicúntur sub una Aña.*

℣. Plecténtes mílites Corônam spíneam, Allelúja.

℟. Posuérunt super caput Dómini, Allelúja.

De Isaîa Prophéta.

Cap. 53. art. 1.

LECTIO I.

Quis crédidit audítui nostro? Et bráchium Dómini cui revelâtum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, & sicut radix de terra sitiénti. Non est spécies ei, neque decor: & vídimus eum, & non erat aspéctus, & desiderávimus eum: despéctum & novíssimum virôrum, virum dolôrum,

rum, & sciéntem infirmitâtem: & quasi abscónditus vultus ejus, & despéctus; unde nec reputávimus eum. Verè languóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portâvit; & nos putávimus eum, quasi leprôsum, & percússum à Deo, & humiliâtum.

℞. Ecce vídimus eum non habéntem spéciem, neque decôrem: aspéctus ejus in eo non est. Hic peccâta nostra portâvit, & pro nobis dolet. Ipse autem vulnerâtus est propter iniquitátes nostras, * Cujus livôre sanáti sumus, Allelúja, Allelúja. ℣. Verè languóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portâvit. Cujus livôre.

LECTIO II.

Ipse autem vulnerâtus est propter iniquitátes nostras, attrîtus est propter scélera nostra: discipîna pacis nostræ super eum & livôre ejus sanáti sumus. Omnes quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinâvit; & pósuit Dóminus in eo iniquitâtem ómnium nostrum. Oblâtus est, quia ipse vóluit, & non apéruit os suum: Sicut ovis ad occisiónem ducêtur, & quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, & non apériet os suum. De angústia, & de judício sublâtus est: generatiônem ejus quis enarrâbit? Quia abscîsus est de terra vivéntium: propter scelus pópuli mei percússi eum.

℞. Eram quasi agnus ínnocens: ductus sum ad immolándum, & nesciêbam: consilium fecérunt inimíci mei advérsum me dicéntes: * Venîte: mittâmus lignum in panem ejus, & eradâmus eum de terra vivéntium, Allelúja. ℣. Omnes inimíci mei advérsum me cogitábant mala mihi: verbum inîquum mandavérunt advérsum me dicéntes. Venîte: mittâmus.

LECTIO III.

Et dabit ímpios pro sepultúra, & dívitem pro morte sua, eo quòd iniquitâtem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitâte: si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidêbit semen longævum, & volúntas Dómini in manu ejus dirigêtur. Pro eo quòd laborâvit ánima ejus, vidêbit, & saturábitur: in sciéntia sua justificâbit ipse justus servus meus multos: & iniquitátes eôrum ipse

 por-

portâvit. Ideò dispértiam ei plúrimos, & fórtium dívidet spólia, pro eo quòd trádidit in mortem ánimam suam, & cum scelerátis reputâtus est. Et ipse peccâta multôrum tulit, & pro transgressóribus rogâvit.

℟. Sicut ovis ad occisiônem ductus est, & cùm malè tractarêtur, non apéruit os suum: tráditus est ad mortem. * Ut vivificâret pópulum suum, Allelúja, Allelúja. ℣. Trádidit in mortem ánimam suam: & inter scelerátos reputâtus est. Ut vivificâret. Glória Patri. Ut vivificâret.

In secundo Nocturno.

Aña. Mílites addúcunt Jesum in prætórium, & índuunt eum púrpura, & impónunt ei plecténtes spíneam Corônam. Allelúja.

℣. Exiit Jesus portans spíneam Corônam, Allelúja.

℟. Et purpúreum vestiméntum, Allelúja.

De sermône S. Bernárdi de Passiône Dómini.

Lectio iv.

Atténde ánima mea, quis est iste, qui ingréditur habens imáginem quasi Regis; & nihilóminus servi despectíssimi confusiône replêtus, coronâtus incêdit. Sed ipsa étiam ejus corôna cruciâtus est illi: & mille punctúris speciôsum ejus caput vúlnerat. Regáli púrpura indúitur; sed pótiùs in ea despícitur, quàm honorâtur. Sceptrum in manu gestat; sed eo ipso caput ejus reveréndum ferîtur. Adórant coram eo pósitis in terra génibus, & Regem clamant; & contínuò sputis amábiles ejus genas sublíniunt. Maxíllam palmis, & amábile collum inhonórant.

℟. Circumdedérunt me viri mendáces, sine causa flagéllis cæcidérunt me. * Sed tu Dómine defénsor víndica me, Allelúja. ℣. Quóniam tribulátio próxima est, & non est qui ádjuvet. Sed tu.

Lectio v.

Et nunc Dómine, Redémptor meus, te ut verum Deum adô-

adôro in te confído : in te spero : ad tuæ Passiônis gloriôsa insignia (in quibus salûtem meam operâtus es) totum me inclîno. Tuæ victoriôsæ Crucis vexíllum in nómine tuo, Christe, adôro. Tuum spíneum Diadêma, tuos rubéntes sanguíneos clavos, tuo sacro láteri immérsam lánceam, tua vúlnera, tuum sánguinem, tuam mortem, tuam sepultûram, tuam gloriôsam & victoriôsam resurrectiônem, & glorificatiônem, Christe, supplex odôro; & glorífico. Odor enim vitæ spirat mihi in ómnibus his, horum vivífico odôre spíritum meum, Dómine, à apeccáti morte resúscita.

℟. Oppróbrium factus sum nimìs inimícis meis: vidérunt me, & movérunt cápita sua. * Adjuva me Dómine, Deus meus, Allelúja. ℣. Locúti sunt advérsum me lingua dolósa, ex sermónibus ódii circumdedérunt me. Adjuva me.

Lectio vi.

Ut autem áliqua similitûdo cápitis nostri in me appáreat, detur óbsecro menti meæ, & salutâris pœniténtiæ compúnctio, & aliénæ misériæ compássio, & stimulus cæli æmulans quod rectum est coram te : ut ad te convértat in ærúmna mea, dum triplex configitur spina. Libet ut spóngiam per arúndinem ori meo pórrigas, & acéti amaritúdinem ori meo adhíbeas. Libet ut per scriptúras tuas ratiôni meæ cónferas gustâre, & vidêre, quóniam florens hic mundus tanquam spóngia inânis est, & omnis concupiscéntia ejus acêto amárior.

℟. Synagóga populôrum circumdedérunt me, & non réddidi retribuéntibus mihi mala. * Consumêtur, Dómine, nequítia peccatôrum, & diriges justum. Allelúja, Allelúja. ℣. Júdica me, Dómine, secúndùm justitiam meam, & secúndùm innocéntiam meam, super me. Consumêtur. Glória Patri. Consumêtur.

In tertio Nocturno.

Aña. Tuam Corônam adorâmus, Dómine, tuum gloriôsum recólimus triúmphum: miserère nobis, qui passus es pro nobis. Allelúja.

℣. Circúmdedit me pópulus iste. Allelúja.

℟. Spinis peccatôrum suôrum. Allelúja.

Lé-

Léctio S. Evangélii secúndùm Joánnem.

Cap. 19.

Lectio VII.

In illo témpore: Apprehéndit Pilâtus Jesum, & flagellâvit: Et mílites plecténtes Corônam de spinis imposuérunt cápiti ejus. Et réliqua.

Homilîa S. August. Epíscopi.

Tractátu 116.

Cùm Judæi clamássent, non Jesum sibi à Pilâto dimítti velle per Pascha, sed Barábbam latrônem; non Salvatôrem, sed interfectôrem; non datôrem vitæ, sed ademptôrem: tunc apprehéndit Pilâtus Jesum, & flagellâvit. Hoc Pilâtus non ob áliud fecísse credéndus est, nisi ut ejus injúriis Judæi satiáti, suffícere sibi existimárent, & usque ad ejus mortem sævîre desísterent. Ad hoc pértinet, quod idem Pilâtus cohórtem suam étiam permîsit fácere, quæ sequúntur, aut fortássis & jussit, quamvis hoc Evangelísta tacúerit: dixit enim quid deínde fécerint mílites, Pilâtum tamen id jussíse non dixit. Et mílites, inquit, plecténtes Corônam de spinis imposuérunt cápiti ejus, & veste purpúrea circumdedérunt eum, & veniébant ad eum, & dicébant: Ave Rex Judæôrum: & dabant ei álapas.

℟. Tota die contristâtus ingrediêbar, Dómine: quóniam ánima mea complêta est illusiónibus. * Et vim faciébant, qui quærébant ánimam meam. Allelúja, Allelúja. ℣. Amíci mei, & próximi mei advérsum me appropinquavérunt, & steterunt, & qui juxta me erant, de longè stetérunt. Et vim faciébant.

Lectio VIII.

Sic implebántur, quæ de se prædíxerat Christus: Sic Mârtyres informabántur ad ómnia, quæ persecutóri libuísset fácere perferénda: Sic paulísper occultáta treménda poténtia, commendabâtur prius imitánda patiéntia: Sic regnum, quod de hoc mundo non erat, supérbum mundum, non atrocitâte pugnándi, sed patiéndi humilitâte vincêbat: Sic illud granum multiplicándum seminabâtur horribili contumélia, ut mirábili pullulâret in glória. Exíit iterum Pilâtus foras, & dicit eis: Ecce

Ecce addûco eum foras, ut cognoscâtis, quia in eo nullam causam invénio. Exiit ergo Jesus portans spíneam Corônam, & purpúreum vestiméntum, & dicit eis Pilâtus: Ecce homo.

℟. Mílites plecténtes Corônam de spinis imposuérunt cápiti Dómini, & veste purpúrea circumdedérunt eum, * Et veniébant ad eum, & dicébant: Ave Rex Judæôrum. Allelúja, Allelúja. ℣. Exívit ergo Jesus portans Corônam spíneam, & purpúreum vestiméntum. Et veniébant ad eum. Glória Patri. Et veniébant ad eum.

Lectio ix.

Hic appâret non ignoránte Piláto, hæc à milítibus facta, sive jússerit ea, sive permíserit; illa scílicet causa, quam suprà díximus, ut hæc ejus ludíbria inimíci libentíssimè biberent, & ultérius sánguinem non sitírent. Egréditur ad eos Jesus portans spíneam Corônam, & purpúreum vestiméntum, non clarus império, sed plenus oppróbrio, & dicit eis: Ecce Homo. Si Regi invidêtis; jam párcite, quia dejéctum vidêtis. Flagellâtus est, spinis coronâtus, ludibriósa veste indûtus est, amáris convíciis illûsus est, álapis cæsus est. Fervet ignomínia, frigéscat invídia; sed non frigéscit, inardéscit pótiùs, & incréscit.

Te Deum laudâmus.

Ad Laudes, et per Horas.

Aña. Adest dies lætítiæ, quo Diadêma spíneum commendâtur memóriæ, Christí róseo cruôre perfûsum. Allelúja.

Psalm. Dóminus regnâvit, *cum réliquis de Láudibus Domínicæ.*

Aña. Posuísti Dómine, super caput Christi Corônam spíneam, ejus pretiôso sánguine decorâtam. Allelúja.

Aña. Corôna spínea super caput ejus, expréssa signo sanctitâtis, glóriæ, & honôris. Allelúja.

Aña. Summum Regem glóriæ, spinis coronâtum irrîdet plebs pérfida, morti condemnâtum. Allelúja.

Aña. Pungens spina vúlnerat Christum, mortem patiéntem, & à morte líberat pópulum credéntem. Allelúja.

Ca-

Capitulum.

Cantic. 3.

Egredímini filiæ Sion, & vidête Regem Salomônem in Diadémate, quo coronâvit illum mater sua in die desponsatiônis illîus.

Hymnus.

Lauda fidêlis cóncio
Spinæ trophæum ínclytum:
Per quam perit perdítio,
Vitæque datur méritum.
Nos à punctúris líberat
Ætérni Patris Fílius,
Dum Spinis pungi tólerat
Spinârum culpæ néscius.
Cùm Spinârum acúleum
Christus pro nobis pértulit,
Per Diadêma spíneum
Vitæ corônam cóntulit.
Plaudat turba fidélium
Quòd per spinæ ludíbrium
Purgat Creâtor ómnium
Spinéti nostri vítium.
Ut sis perénne méntibus
Paschâle Jesu gáudium,
A morte dira críminum
Vitæ renátos líbera.
Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui à mórtuis
Surréxit, ac Parácleto
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Tuam Corônam adorâmus Dómine. Allelúja.

℟. Tuum gloriôsum recólimus triúmphum. Allelúja.

Ad Benedictus.

Aña. Exîvit ergo Jesus foras portans Corônam spíneam, & purpúreum vestiméntum. Allelúja.

Oratio.

Præsta quæsumus omnípotens Deus, ut qui in memóriam Passiônis Dómini nostri Jesu Christi, Corônam ejus spíneam venerâmur in terris; ab ipso glória & honôre mereâmur in cælis coronári. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Ad Tertiam.

Aña. Posuísti Dómine. *Capitulum*, Egredímini, *ut supra in Láudibus.*

℟. *Brev.* Tuam Corônam adorâmus Dómine, * Allelúja, Allelúja. Tuam Corônam. ℣. Tuum gloriôsum recólimus triúmphum. Allelúja, Allelúja. Glória Patri. Tuam Corônam.

℣. Plecténtes Corônam spíneam, Allelúja.

℟. Posuérunt super caput Dómini, Allelúja.

Ad

Ad Sextam.

Aña. Corôna spínea.

Capitulum.

Isaíæ 53.

Veré languóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portâvit: & nos putávimus eum quasi leprôsum, & percússum à Deo, & humiliâtum.

℟. *Brev.* Plecténtes Corônam spíneam. * Allelúja, Allelúja. Plecténtes. ℣. Posuérunt super caput Dómini. Allelúja, Allelúja. Glória Patri. Plecténtes.

℣. Exîvit Jesus portans spíneam Corônam, Allelúja.

℟. Et purpúreum vestiméntum, Allelúja.

Ad Nonam.

Aña. Pungens spina.

Capitulum.

Isaíæ 53.

Ipse autem vulnerâtus est propter iniquitátes nostras, attrîtus est propter scélera nostra: disciplîna pacis nostræ super eum & livôre ejus sanáti sumus.

℟. *Brev.* Exîvit Jesus portans spíneam Corônam * Allelúja, Allelúja. Exîvit. ℣. Et purpúreum vestiméntum. Allelúja. Glória Patri. Exîvit Jesus.

℣. Circúmdedit me pópulus iste, Allelúja.

℟. Spinis peccatôrum suôrum, Allelúja.

In secundis Vesperis.

Aña. Adest dies, *cum réliquis de Láudibus. Psalm.* Dixit Dóminus, *cum áliis de Domínica, & loco últimi Psalm.* Laudâte Dóminum omnes gentes. *Capítulum.* Egredímini, *ut supra in Láudibus. Hymnus,* Ætérno Regi glóriæ, *ut in Matutíno.*

℣. Exîvit Jesus portans spíneam Corônam, Allelúja.

℟. Et purpúreum vestiméntum, Allelúja.

Ad Magnificat.

Aña. Verè languóres nostros ipse tulit, & spinas peccatôrum nostrôrum ipse portâvit: vulnerâtus est enim propter iniquitátes nostras, & attrîtus est propter scélera nostra. Allelúja. *Orátio,* Præsta quæsumus, *ut supra.*

Deinde fit commemorátio S.

 Au-

Augustíni Epíscopi, & Confessôris. *Aña. própria. De Festo* S. Pii V. Papæ, & Confessôris *fit in die* 14. *hujus ei assignáta.*

Missa sicut inveniêtur in fine hujus códicis.

Quando hoc festum transfértur post tempus Paschâle, omíttitur Allelúja in Añis, ℟. ℟. ℣. ℣. &c. *Et in Matutíno dicéntur in tribus Noctúrnis sequéntes Antíphonæ.*

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Maledícta terra in ópere suo: spinas & tríbulos germinâbit tibi.

Aña. Pro fruménto ortus est mihi tríbulus, & pro hórdeo spina.

Aña. Mílites plecténtes Corônam de spinis posuérunt super caput Jesu, & arúndinem in déxtera ejus.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Mílites addúcunt Jesum in prætórium, & índuunt eum púrpura, & impónunt ei plecténtes spíneam Corônam.

Aña. Exuéntes eum, clámidem coccíneam circumdedérunt ei.

Aña. Et genufléxo ante eum, illudébant eum, dicéntes: Ave Rex Judæôrum.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Tuam Corônam adorâmus Dómine, tuum gloriôsum recólimus triumphum: miserêre nobis, qui passus es pro nobis.

Aña. Eris Corôna glóriæ in manu Dómini, & Diadêma regni in manu Dei tui.

Aña. O Corónæ miránda dígnitas! Tu spes lapsis, fírmitas infírmis: tu restáuras corónas pérditas, Allelúja.

DIE XI. MAII.

Fit de S. Mónica Vídua dup. (*dies* 4. *hujus*) *tamquam própria, ut in Breviário; étiam in Domínica, dúmmodo non sit privilegiâta. Si transferâtur post Pascha, omíttitur* Allelúja *in Añis &c. & in Missa dicêtur post Epístolam, Graduâle, cum* Allelúja, *&* ℣. *sequénti de Missa* Cognóvi Dómine, *de cñi. non Vírginum.*

In Vésperis fiet commemorátio S. Domínici Calceaténsis Confessôris, *cujus Offícium celebrâtur in die sequénti. Et festo* SS. Nerei &c. Mártyrum *assignâta est dies* 8. *Júnii.*

In

In die 13. Maii *fit de* S. Secúndo Episcop. & M. dup. *in Hispán. ut in próp. SS. Hispániæ. Festo* S. Petri Regaláti Conf. *assignâta est dies* 9. *Júnii.*

In die 14. *Máii fit de* S. Pio V. Papa, & Conf. dup. *dies Sancti hujus, ut in Breviário*: 9. *lect.* (*ex duâbus*) *&* *com.* S. Bonifácii M. *in Láudibus & Missa, étiam in primis Vésperis.*

In secúndis Vésperis, Capítul. S. Isidóri Agrícolæ Conf. *com.* S. Pii.

DIE XV. MAII.

Festum S. Isidóri Agrícolæ Conf. dup. *cum Octáva ad líbitum, ómnia ut in Breviário in própriis SS. Hispániæ. In Vésperis Capítul.* S. Joánnis Nepomucéni M. *com.* S. Isidóri. *In Missa non dícitur* Credo.

Festis concéssis pro hac díe, asignáti sunt dies hîc expréssi in hunc modum: S. Indaléctii Ep. & Mártyris *dies* 21. *buj.* dup. *in Hisp*: S. Torquáti Ep. & M. *dies* 28. *étiam* dup. *in Hispán*: S. Euphrásii Ep. & M. dies 29. Máii dup. *similiter in Hisp. Festo* S. Ubáldi Ep. & Conf. sem. *quod cadit in die* 16. *hujus, assignâta est dies* 15. *Júnii.*

DIE XXII MAII.

Octâva S. Isidóri Agrícolæ Conf. dup. *Si occúrrat in Domínica, fiet de ea, & omíttitur Octâva, quia cum hæc sit ad líbitum, non habet locum in Domínica, & ídeo in die antecedénti nihil fiet de Octáva in Vésperis.*

Omnia ut in die, præter sequéntia. In primo Noctúrno Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo S. Bernárdi Abbâtis.

Serm. 2. ómnium SS

LECTIO IV.

Quia Sancti Isidóri Agrícolæ festîvam hódie, dilectíssimi, omnîque digníssimam devotîone memóriam celebrâmus, óperæ prétium puto, de ejus felicitâte, in qua beáta jam réquie perfrúitur, sermônem fácere caritáti vestræ. Erit enim præstánte Dómino, triplex sermônis utílitas, quátenus ágnita, vel ex parte áliqua, felíci retributiône Sanctôrum, abundantióri deínceps solicitúdine

 ip-

ipsôrum inhærêre vestígiis, ac ferventióri desidério ad eôrum suspirâre consórtium, propensiôre quoque devotiône eorúndem nos commendâre patrocíniis studeâmus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus.

Lectio v.

Fidêlis quippe sermo, & omni aceptiône dignus : ut quos solémni veneratiône proséquimur, étiam símili conversatiône sequâmur : quos beatíssimos prædicâmus, ad eôrum beatitúdinem tota aviditâte currâmus; quorum delectâmur præcóniis, sublevêmur eôrum patrocíniis. Nec sane parum fructuôsa invenîtur memória festîva Sanctôrum, languôrem, tepôrem, errorémque depéllens, cum eôrum intercessiône juvêtur infírmitas nostra, consideratiône beatitúdinis excitêtur negligéntia nostra, ignorántia quoque nostra ipsôrum erudiâtur exémplo.

℟. Amâvit eum Dóminus.

Lectio vi.

Post multa.

Sic enim de præsénti Sanctôrum réquie habêmus in Psalmo scriptum: Convértere ánima mea in réquiem tuam, quia Dóminus benefêcit tibi: benè inquam fecit : audi, quàm benè: Quia erípuit ánimam meam de morte, óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu; id est à peccáto omni, & à peccáti pœna, à timôre quoque, & à perículo recidéndi pénitus liberâvit. Hoc est suavíssimum ánimæ stratum, quod nullis jam lavet, aut riget lácrymis, quando abstérget Deus omnem láchrymam ab óculis ejus. Hoc cubîle, in quo jam non compúngitur, nec convértitur in ærúmna sua, dum confígitur spina. Exíit enim de terra illa, quæ spinas ei & tríbulos germinâbat.

℟. Iste homo perfêcit ómnia.

In

In tertio Nocturno.

Lectio S. Evangélii secúndùm Joánnem.

Cáp. 15. a

Lectio vii.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera, & Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homilîa S. Hilárii Epíscopi.

Enarratiône in Psalm. 51.

Si qui ígitur per fidem corporáti Dei manêre in natúra assúmti à Deo córporis merebúntur, hi emundántur in fructus ætérnos ex se afferéndos: quia necésse est ut natûram veræ vitis propâgo intra vitem manens téneat. At verò qui incrédulus nati in córpore Dei fúerit, vel etsì credens máneat, frúctibus tamen fidei suæ cáreat; eradicábitur, aut ob infidelitâtem, aut ob inutilitâtem frúctuum negatôrum.

℟. Iste est, qui ante Deum.

Lectio viii.

Natus enim ex Vírgine Deī Fílius, non tùm primùm Deī Fílius est cùm fílius hóminis; sed in Fílio Dei, & filius hóminis; & ut fílius hóminis esset Dei Fílius, natûram in se univérsæ carnis assúmsit: per quam efféctus vera vitis genus in se univérsæ propáginis tenet. Si quæ ergo propâgo infidêlis, aut infructuôsa est, eradicándam ipsa se præbet, per natûram quidem manens, sed per infidelitâtem, aut inutilitâtem evéllitur.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti.

Lectio ix.

Qui enim non manêbit in Christo, regni Christi íncola non erit. Non erit autem, non quòd sibi non patúerit incolâtus (univérsis enim patet, ut consórtes sint córporis Dei, quia Verbum caro factum est, & habitâvit in nobis, natûram scílicet in se totíus humáni géneris assúmens) sed unusquísque pro mérito, & evelléndum se de tabernáculo, & eradicándum de terra vivéntium præbet: non prohí-

híbitus unquam inésse, qui per natúræ assumtiônem íncola fit recéptus; sed eradicâtur ob infidelitâtis crimen, natúræ consórtio indignus exsístens.

Te Deum laudâmus. *Vesp.* Sancti Jacóbi Apóstoli, *commemorátio Octávæ.*

Die xxx. Maii.

Festum S. Ferdinándi Regis Hispániæ Confessôris dup. 1. classis *cum Octáva. Lectiónes primi Noctúrni:* Justus si morte, *de commúni Conf. non Pontíf. primo loco; réliqua ut in fine Breviárii Românì inter festa particulária, vel in própr. Hispán. Nihil de* S. Felîce Pap. & M.

FESTA JUNII.

Die xi. Junii.

Octâva S. Ferdinándi Conf. dup. *in Hisp. ut in locis citâtis in die. De Festo* S. Norbérti Epíscopi, & Conf. *fit in die 7. sequénti, tanquam própria.*

Die viii. Junii.

Fit de SS. Néreo &c. Martyribus sem. *dies in Breviário* 12. *Máii. Omnia ut ibi notántur, tam pro témpore Paschâli, quam extra.*

Die ix. Junii.

De S. Petro Regalâto Conf. sem. *dies in Hispánia* 13. *Máii, ut in própriis SS. Hispán. notâtur: nona léctio (ex duâbus) & commemorátio* SS. Primi &c. Mm. *In Láudibus, & (étiam in primis Vésperis) Missa.*

Die xv. Junii.

De S. Ubáldo Ep. & Conf. sem. *ut in Breviário: nona léctio (ex duâbus) & commemorátio* SS. Viti &c. Mm. *in primis Vésperis, Láudibus, & Missa.*

Die xvi. Junii.

De Festo Beátæ Maríæ Vírginis de Guadalûpe Mexicánæ, sive Regni novæ Hispániæ dup. majus, *de quo fit hódie in Diœcési ex assignatiône facta ab Ordinário.*

Omnia ut in festo ad Nives *die* 5. *Augústi præter própria.*

Ad Magnificat.

Aña. Elégi, & sanctificávi locum istum, ut sit ibi no-

nomen meum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diêbus.

ORATIO.

Deus, qui sub Beatíssimæ Vírginis Maríæ singulári patrocínio constitútos perpétuis benefíciis nos cumulári voluísti: præsta supplícibus tuis, ut cujus hódie commemoratiône lætâmur in terris, ejus conspéctu perfruâmur in cælis. Per Dóminum.

Deínde fit commemorátio S. Ubáldi Ep. & Conf.

AD MATUTINUM LECTIONES.

IN PRIMO NOCTURNO.

De libro Ecclesiástici.

Cáp. 24.

LECTIO I.

Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram: Ego feci in cælis ut orirêtur lumen indefíciens, & sicut nébula texi omnem terram: Ego in altíssimis habitávi, & thronus meus in colúmna nobis. Gyrum cæli circúivi sola, & profúndum abyssi penetrávi: In flúctibus maris ambulávi, & in omni terra steti, & in omni pópulo, & in omni gente primâtum hábui, & ómnium excelléntium & humílium corda virtûte calcávi: & in ómnibus his réquiem quæsívi, & in hereditâte Dómini morâbor. Tunc præcêpit, & dixit mihi Creâtor ómnium; & qui creâvit me, requiêvit in tabernáculo meo, & dixit mihi: In Jacob inhábita, & in Israël hereditâre, & in eléctis meis mitte radíces.

℟. Vidi speciôsam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquârum: cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus. * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosârum, & lília convállium. ℣. Quæ est ista, quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi, ex aromátibus myrrhæ, & thuris? Et sicut dies verni.

LECTIO II.

Ab inítio, & ante sæcula creâta sum, & usque ad futûrum sæculum non désinam, & in habitatiône sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmâta sum, & in civitâte sanctificáta simíliter requiévi, & in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópu-

pulo honorificáto, & in parte Dei mei heréditas illîus, & in plenitúdine sanctôrum deténtio mea. Quasi cedrus exaltâta sum in Líbano, & quasi cypréssus in monte Sion. Quasi palma exaltâta sum in Cades, & quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olîva speciôsa in campis, & quasi plátanus exaltâta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamômum & bálsamum aromatízans odôrem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitâtem odôris: & quasi storax, & gálbanus, & úngula, & gutta, & quasi Líbanus non incîsus vaporávi habitatiônem meam, & quasi bálsamum non mistum odor meus.

℟. Quæ est ista, quæ ascéndit sicut aurôra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol? * Terríbilis, ut castrôrum ácies ordinâta? ℣. Fília Sion tota formôsa, & suâvis es, pulchra ut luna, elécta ut sol. Terríbilis.

Lectio III.

Ego quasi terebinthus exténdi ramos meos, & rami mei honôris & grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitâtem odôris: & flores mei fructus honôris & honestâtis. Ego mater pulchræ dilectiônis, & timôris, & agnitiônis, & sanctæ spei. In me grátia omnis viæ & veritâtis: in me omnis spes vitæ & virtûtis. Transîte ad me omnes qui concupíscitis me, & à generatiónibus meis impléмini. Spíritus enim meus super mel dulcis, & heréditas mea super mel & favum. Memória mea in generatiónes sæculôrum. Qui edunt me, adhuc esúrient, & qui bibunt me adhuc sítient. Qui audit me, non confundêtur, & qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, & formôsa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, & beâtam dixérunt, & regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabunt eam flores rosârum, & lília convállium. Vidérunt. Glória Patri. Vidérunt.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernárdi Abbâtis.

De verbis Apocalypsis cáp. 12.

Lectio iv.

Fidêlis planè, & præpotens mediâtor Dei & hóminum homo Christus Jesus. Nec ipsa múlier benedícta in mulieribus vidébitur otiôsa: inveniêtur équidèm locus ejus in hac reconciliatiône. Opus est enim mediatôre ad mediatôrem istum, nec alter nobis utílior quàm Marîa. Quid ad Marîam accédere trépidet humâna fragílitas? Nihil austêrum in ea, nihil terríbile. Quòd (si ut verè sunt) plena ómnia pietâtis & grátiæ, plena mansuetúdinis & misericórdiæ, quæ ad eam pértinent, invéneris: age grátias ei, qui talem tibi mediatrîcem benigníssimâ misericórdiâ provîdit. Omnibus ómnia facta est, ómnibus misericórdiæ sinum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi: Captîvus redemptiônem, æger curatiônem, tristis consolatiônem, peccâtor véniam, justus grátiam, Angelus lætítiam, dénique tota Trínitas glóriam.

℟. Signum magnum appáruit in cælo, Múlier amícta sole, & luna sub pédibus ejus. * Et in cápite ejus corôna duódecim stellârum. ℣. Fundaménta ejus in móntibus sanctis, díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. Et in cápite.

Lectio v.

Nimîrùm ea est, quæ velut álterum solem índuit sibi. Quemádmodum enim ille super bonos & malos indiferéntèr óritur: sic ipsa quoque prætérita non díscutit mérita; sed ómnibus sese exorábilem, ómnibus clementíssimam præbet: ómnium déniquè necessitátes amplíssimo quodam miserâtur afféctu. Nam & deféctus ómnis sub ea, & quidquid fragilitâtis seu corruptiônis est, excellentíssima quadam sublimitâte præ céteris ómnibus excêdit & supergréditur creatúris, ut méritò sub ejus pédibus luna esse dicâtur. Amplectâmur Maríæ vestígia, fratres mei, & devotíssima supplicatiône beátis illîus pédibus provolvâmur. Teneâmus eam, nec dímittâmus, donec benedíxerit nobis. Virtus Altíssimi obumbrâbit tibi. Nihil ítaque

que mirum, si sub tali obumbráculo talis étiam à mulíere sustineâtur amíctus. Múlier amícta sole. Induímini Dóminum Jesum Christum. Quàm familiâris ei facta es Dómina! quàm próxima, imò, quàm íntima fieri meruísti! Quántam invenísti grátiam apud Deum! In te manet, & tu in eo; & vestis eum, & vestîris ab eo: vestis eum substántia carnis, & vestîris ab eo glória suæ majestâtis.

℟. Quæ est ista, quæ progréditur, quasi aurôra consúrgens: * Pulchra ut luna, elécta ut sol? ℣. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, & quasi flos rosârum in diêbus vernis. Pulchra ut luna.

Lectio. VI.

In cápite (inquit) ejus corôna stellârum duódecim. Dignum planè stellis coronári caput, quod & ipsis longè clárius micans, ornet eas pótiùs quàm ornêtur ab eis. Quidni corónent sídera, quam sol vestit? Sicut dies verni circúmdabant eam flores rosârum, & lília convállium. Quis illas æstimet gemmas, quis stellas nóminet, quibus Maríæ régium diadêma compáctum est? Supra hóminem est corónæ hujus ratiônem expónere, indicâre compositiônem. In ea ferè spécie anno millésimo, quingentésimo trigésimo primo, mirabilitèr picta Deiparæ Imâgo Méxici apparuísse fertur, quæ inibì loci prope urbem, ubi pio Neóphyto ædem sibi sacram prodígio dícitur designásse, magnífico excépta templo ingénti cólitur populôrum, ac miraculôrum frequéntia. Quam proptérea utì præsentíssimum adversùs públicas, privatásque calamitátes præsídium, Archiepíscopus Mexicânus, ut réliqui étiam illârum pártium Antístites, ómnium Ordinum consensiône, in primáriam adlêgit novæ Hispániæ Patrônam, ríteque eléctam Benedíctus décimus quartus auctoritâte Apostólica declarâvit, atque Offícium próprium, & Missam sub título Beátæ Vírginis Maríæ Guadalupénsis recitári concéssit.

℟. Elégi, & sanctificávi locum istum: * Ut sit ibi nomen meum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diêbus. ℣. Non fecit tálitèr omni natióni, & judícia sua non manifestâvit eis. Ut sit ibi. Glória Patri. Ut sit ibi.

In

In tertio Nocturno.

Léctio S. Evangélii secúndùm Lucam.

Cáp. 1.

In illo témpore: Exsúrgens Marîa ábiit in montâna cum festinatiône in civitâtem Juda. Et intrâvit in domum Zacharíæ, & salutâvit Elísabeth. Et réliqua.

Lectio vii.

Homilîa S. Bernárdi Abbâtis.

De verbis Apocalypsis, cáp. 12. circa finem.

Mirabâtur Elísabeth persônam veniéntis, dicens: Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me? Commendâbat & vocem salutántis, adjíciens: Ut facta est vox salutatiônis tuæ in áuribus meis, exsultâvit in gáudio infans in útero meo. Et beatificâbat fidem credéntis: Beâta, ínquiens, quæ credidísti. Magna quidem præcónia; sed & devôta humílitas nihil sibi passa retinêre, in eum magis univérsa refûdit, cujus in se benefícia laudabántur.

℟. Felix nanque es, sacra Virgo Marîa, & omni laude digníssima: * Quîa ex te ortus est sol justítiæ Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercêde pro devóto femíneo sexu: séntiant ómnes tuum juvâmen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitâtem. Quîa ex te.

Lectio viii.

Tu, inquit, magníficas Matrem Dómini; sed magníficat ánima mea Dóminum. In voce mea filium pérhibes exsultásse in gáudio; sed exsultâvit spíritus meus in Deo salutári meo: & ipse quoque tamquam amîcus sponsi gaudet ad vocem sponsi. Beâtam esse dicis, quæ crédidi; sed credulitâtis, & beatitúdinis causa respéctus est supérnæ pietâtis, ut ex hoc magis beâtam me dicant omnes generatiónes: quia ancíllam húmilem & exíguam respéxit Deus. Verúmtamen nunquid putâmus, fratres, Elísabeth sanctam in eo, quod per spíritum útique loquebâtur, errásse? Absit. Beâta planè quam respéxit Deus, & beâta quæ crédidit. Hic enim magnus divinæ respectiônis éxstitit fructus.

℟. Beâtam me dicent ómnes generatiónes: * Quia fecit mi-

mihi Dóminus magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. Quia fecit. Glória Patri. Quia.

Lectio ix.

Ineffábili síquidèm artifício Spíritus supervéniens tantæ humilitáti, magnanímitas tanta in secretário virgínei cordis accéssit, ut quòd vidélicet nec humílitas tanta mínuit magnanimitâtem, nec magnanímitas tanta humilitâtem. Sed cum in sua æstimatiône tam húmilis esset, nihilóminùs & in promissiônis credulitâte magnánimis, ut quæ nihil áliud quàm exíguam sese reputâbat ancíllam, ad inscrutábile Sacraméntum nullátenus se dubitâret eléctam, & veram Dei & hóminis Genitrîcem créderet mox futûram. Jam te, Mater misericórdiæ, per ipsum sinceríssimæ tuæ mentis afféctum, tuis jacens provolûta pédibus luna, mediatrîcem sibi apud solem justítiæ constitûtam devótis supplicatiónibus interpéllat: ut in lúmine tuo vídeat lumen, & solis grátiam tuo mereâtur obténtu, quam verè amâvit præ ómnibus, & ornâvit stola glóriæ índuens, & corônam pulchritúdinis ponens in cápite tuo.

Te Deum Laudâmus.

Ad Benedictus, Añ.

Non fecit táliter omni natióni, & judícia sua non manifestâvit eis.

Cánticum Benedíctus. *Orátio ut suprà.*

In secúndis Vésperis ómnia ut in primis, excépta Aña. ad Magníficat, *quæ est:*

Leva in circúitu óculos tuos, & vide: Omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi: fílii tui de longè vénient, & fíliæ tuæ de látere surgent.

Deinde fit com. S. Joánnis Francísci de Regis Conf. *quia sequens dies est ei assignâta in perpétuum. In Hispánia sem.* Missa própria, ut in fine.

Die xxvi. Junii.

Festum Sancti Pelágii Mártyris duplex.

Omnia dicúntur de commúni unîus Mártyris præter sequéntia.

Oratio.

Lætêtur Ecclésia tua Deus, beáti Pelágîi Mártyris tui con-

confîsa suffrágiis: atque ejus précibus gloriósis, & devôta permáneat, & secûra consistat. Per Dóminum.

Et fit commemorátio Infraoctávæ S. Joánnis Bapt.

In primo Nocturno.

Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In secundo Nocturno.

De Breviário antiquo Oveténsi.

Lectio iv.

In Hispánia, Civitâte Córduba Sanctus Pelágius martyrium duríssimum sústulit: nam cum exércitus pérfidi Regis Abderraméni Gallæciam expugnásset, inter céteros captívos Christiános, quos ibi cepérunt, étiam Hermógium Epíscopum vinctum Córdubam adduxérunt. Qui cum cárceris squalóres, atque angústias ferre non posset, nepôtem Pelágium pro se óbsidem dedit, sperans cítiùs illum fore redemptûrum.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodîvit eum ab inimícis, & à seductóribus tutâvit illum: * Et dedit illi claritâtem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, & in vínculis non derelîquit eum. Et dedit illi.

Lectio v.

Cùm autem Pelágius speciósæ esset formæ, & ab impudîco Rege concupiscerêtur, & neque ejus fœditáti consentîre, nec Christum abnegâre vellet: Rex irâ succénsus, jussit illum forcípibus férreis è terra in altum sæpiùs elevári, & dimítti, donec aut spíritum emítteret, aut Christum negâret. Quem cum constántem, & lætum in torméntis conspíceret: membrâtim scindi, & in flumen córporis frusta prójici mandâvit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine; * Et voluntâte labiôrum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuisti in cápite ejus corônam de lápide pretióso. Et voluntâte.

Lectio vi.

Christiáni verò nocte corpus beáti Pelágii mártyris rapiéntes honorífìcè sepeliérunt, anno Dómini octingentésimo quinquagésimo. Transácto verò áliquo témpore,

re, corpus beáti Pelágii mártyris à Velascône Legionénsi Epíscopo Legiônem est translâtum. Témpore verò Beremúndi Regis, Asturicénses & Legionénses cives præsensérunt Saracénos, quos habébant hostes, vel ad capiéndas, vel ad destruéndas prædictas civitátes, esse ventúros; cum óssibus Regum, qui ibi erant sepúlti, corpus beáti Pelágii Ovêtum transtulérunt, ubì à cunctis fidélibus magnâ veneratiône cólitur.

℟. Stola jucunditâtis índuit eum Dóminus, * Et corônam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibâvit illum Dóminus pane vitæ, & intelléctus: & aquâ sapiéntiæ salutâris potâvit illum. Et corônam pulchritúdinis. Glória Patri. Et corônam.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio S. Evangélii secúndùm Joánnem.

Cáp. 12. d.

In illo tempore: Dixit Jesus Discípulis suis: Amen, amen dico vobis: Nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

LECTIO VII.

Homiliâ S. Agustíni Epíscopi.

Tractátu 51. *in Joánnem, sub médium.*

Ipse Dóminus Jesus erat granum mortificándum, & multiplicándum: mortificándum infidelitâte Judæôrum, multiplicándum fide populôrum. Jam verò exhórtans ad passiônis suæ sectánda vestígia: Qui amat, inquit, ánimam suam, perdet eam. Quod duôbus modis intélligi potest. Qui amat, perdet: id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenêre in Christo, noli mortem timêre pro Christo. Item álio modo. Qui amat ánimam suam, perdet eam: noli amâre, ne perdas: noli amâre in hac vita, ne perdas in ætérna vita.

℟. Corôna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitâtis, glória honôris, & opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corônam de lápide pretióso. Expréssa signo.

LECTIO VIII.

Hoc autem, quod postériùs di-

dixi, magis habêre vidêtur evangélicus sensus. Séquitur enim: Et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custôdit eam. Ergò quod supra dictum est, qui amat (subintelligitur in hoc mundo) ipse útiquè perdet: qui autèm odit (útique in hoc mundo) in vitam ætérnam ipse custôdit eam. Magna & mira senténtia, quemádmodum sit hóminis in ánimam suam amor, ut péreat, ódium, ne péreat. Si malè amáveris, tunc odísti; si benè óderis, tunc amásti. Felíces, qui odérunt custodiéndo, ne perdant amándo.

℞. Hic est verè mártyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit. * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitâtis glóriam quæsîvit, sed ad cæléstia regna pervênit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

Sed vide, ne tibi subrêpat, ut teípsum velis interímere, sic intelligéndo, quod debes odísse in hoc mundo ánimam tuam. Hinc enim quidam malígni, atque perversi hómines, & in se ipsis crudelióres, & sceleratióres homicídæ, flammis se donant, aquis se præfócant, præcipítio se collídunt, & péreunt. Hoc Christus non dócuit; imò étiam diábolo præcipítium suggerénti, respóndit, Redi retrò Sátana: scriptum est: Non tentâbis Dóminum Deum tuum. Petro autem dixit, signíficans qua morte clarificatûrus erat Deum: Cùm esses júnior, cingébas te, & ambulábas, quò volébas; cùm autem senúeris, alter te cinget, & feret, quò tu non vis. Ubi satis expréssit, non à seipso, sed ab álio debêre occídi, qui vestígia séquitur Christi.

Te Deum Laudámus.

In Láudibus fit com. Infraoctávæ S. Joánnis Bapt. *In secúndis Vésperis à Capítulo fit de* SS. Joánne, & Paulo martyribus, *de quibus ágitur in die sequénti tanquam dies própria. Missa* Lætábitur *de Cñi. cum oratiône, & Evang. ut supra.* Cred.

FESTA JULII.

Die viii. Julii.

Festum S. Elísabeth Regínæ Portugálliæ Viduæ duplex

2. classis *cum octáva*, *in Hispánia. Omnia ut in Breviário, cum secúndis Vésperis; si die sequénti fit de áliquo Sancto transláto, commemorátio ejus; sin autem, in die* IX. *& in* XI. *fit de Infraoctáva.*

DIE XV. JULII.

Dies octâva S. Elísabeth Víduæ duplex *in Hispánia. Officium ut in die præter Lectiónes, quæ in primo Noctúrno sunt de Scriptúra occurrénte; in secúndo & tértio própriæ.*

Festum S. Camílli de Lellis Conf. dup. *fixum est in perpétuum in die* XXI. *hujus: Et festum* S. Henríci Imperatôris Conf. *in die* XXIV. *ejúsdem.*

Festum S. Vincéntii à Paulo Conf. duplex, *quod cadit in die* XIX. *hujus, fixum est in die* XXVI. *Augústi, tanquam própria.*

FESTA AUGUSTI.

DIE VI.

In Festo Transfiguratiônis Dómini nostri Jesu Christi, Tituláris Ecclésiæ Oveténsis duplex I. classis *in tota Diœcési, & in Matrîce cum Octáva; necnon in Ecclésiis & locis Diœcêsis ex consuetúdine.*

Omnia ut in Breviário in córpore, præter sequéntia.

In primis Vésperis nulla fit commemorátio, nisi vénerit in Domínica, quia tunc fiet de ea.

LECTIO IX.

Ex Homilía 57. *S. Joánnis Chrysóstomi.*

Post dies sex assúmsit Jesus Petrum, Joánnem, & Jacôbum; álius autem Evangelísta post octo ait; nec ulla certè dissonántia est. Nam alter, tam illam diem, qua Christus locûtus est, quàm qua in montem addúxit; alter intermédias solùm commemorâvit. Tu verò Matthæi philosóphiam consídera, qui non celâvit nómina eôrum, qui præpósiti fúerant: quod & Joánnes sæpiùs facit, cùm exímias Petri laudes veríssimè, ac diligentíssimè descrîbat. Nullum enim in hoc Apostolôrum consórtio livor, aut inânis glória locum habêbat.

Te Deum Laudâmus.

In Láudibus non fit commemorátio de SS. Xysto &c. martyribus.

DIE

Die xi. Augusti.

Hac die fit de Sancto Petro Apóstolo ad Víncula, duplex majus, (*dies in Breviário* I. *hujus*) *sed hæc est ei assignâta in perpétuum.*

Omnia ut in córpore Breviárii in dicta die prima, præter sequéntia. Nona lectio SS. Tibúrtii, & Susánnæ Mártyrum: *Commemorátio* S. Pauli Apóstoli, *Octavârum* Transfiguratiônis, & S. Lauréntii, & SS. Tibúrtii, &c. *in Láudibus, & Missa.*

Die xiii. Augusti.

Octâva Transfiguratiônis Dómini nostri Jesu Christi. Duplex.

Omnia ut in die Festo, præter sequéntia.

In primis Vésperis fit com. S. Claræ Vírginis., *Infraoctáv.* S. Lauréntii, *&* SS. Hipólyti, &c. Martyr.

Ad Matutînum in primo Noctúrno, Lectiónes de Scriptúra occurrénte.

In secundo Nocturno.

Ex Oratiône S. Cyríli Epíscopi.

De Festo Transfiguratiônis.

Lectio iv.

Venit Dóminus Jesus in glória Dei Patris, & non in ea, quæ est in nobis humilitâte, & abjectiône. Quómodò ergo fecit miráculi spectatóres eos, qui promíssum accéperant? Ascéndit in montem, habens ex eis tres eléctos. Deinde transmutâtur in quemdam excelléntem, & divînum splendôrem: ádeò, ut ejus vestis viderêtur resplendéscere instàr lúminis. Déinde Móyses & Elías, Jesum circumsisténtes, de ejus decéssu inter se loquebántur, quem erat adimpletûrus in Jerúsalem, hoc est, ejus quæ est cum carne æconómiæ mystérium, & salutârem passiônem, quæ, inquam, futûra erat in cruce.

℟. Inebriáti sunt ab ubertâte domus tuæ: * Et torrénte voluptâtis tuæ potásti eos. ℣. Quóniam apud te est fons vitæ, & in lúmine tuo vidébimus lumen. Et torrénte voluptâtis.

Lectio V.

Verum enim est, quòd lex Móysis, & sermo sanctôrum Prophetârum Christi priùs ostendérunt mystérium: illa quidem in figúris & umbris ipsum propè modum descríbens in tábula; hi autèm multifáriam, multísque modis prædicéntes, quòd suo témpore vidébitur in nostra forma, & quòd pro salûte & vita ómnium non recusâvit pati mortem in ligno. Quòd autèm Móyses & Elías áderant, & simul loquebántur, id fiêbat hoc consílio, ut ostenderêtur, legem & Prophétas esse velut satéllites Dómini nostri Jesu Christi, ut qui ab ipsis fúerat osténsus Dóminus per ea quæ significárunt, quæ erant inter se conveniéntia. Non enim díssident à lege ea quæ dicuntur per Prophétas: & hoc est, ut árbitror, quod inter se colloquebántur Móyses sanctíssimus, & Prophetârum óptimus. Is autèm erat Elías.

℟. Præcéptor, bonum est nos hîc esse. * Faciâmus hîc tria tabernácula: tibi unum, Móysi unum, & Elíæ unum, ℣. Non enim sciêbat, quid díceret. Faciâmus.

Lectio VI.

Potest autem illud quoque considerári. Quóniam ex turbis álii quidem dicébant, eum esse Elîam: álii Jeremîam: álii verò unum ex Prophétis: dicit eôrum Princeps, ut vel ex hoc vídeant, quid intersit inter Dóminum, & servum. Post hanc ália quoque potest duci considerátio. Quóniam enim assíduè accusábant, quòd legem transgrederêtur, & existimábant eum esse blasphêmum, ut qui sibi vendicâret eam, quæ ei non conveniêbat, nempe glóriam Patris, & dicébant: Hic homo non est ex Deo, quóniam sábbatum non servat. Et rursus: De bono ópere non lapidâmus te, sed de blasphémia, & quòd, homo cum sis, facis te ipsum Deum: ut ostenderêtur, útraque crímina proféćta esse ex invidéntia, & eum neutri eôrum esse affînem: & neque id, quod à se fit, esse legis transgressiônem, nec vendicatiônem glóriæ non sibi conveniéntis, quòd dicat se esse æquâlem Patri, eos qui in utrôque eôrum clari fúerant, prodûcit in médium.

℟. Si ministrátio mortis lítteris deformâta in lapídibus

bus, fuit in glória, ita ut non possent inténdere filii Israël in fáciem Móysi, propter glóriam vultus ejus, quæ evacuâtur: * Multo magis ministrátio spíritus, quæ manet, erit in glória. ℣. Ampliôris enìm glóriæ Christus præ Móyse dignus est hábitus, quanto ampliôrem honôrem habet domo, qui fabricâvit eam. Multo magis ministrátio. Glória Patri. Multo magis.

In tertio Nocturno.

Léctio S. Evangélii secúndùm Matthæum.

Cap. 17.

Lectio VII.

In illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, & Jacôbum, & Joánnem fratrem ejus, & duxit illos in montem excélsum seórsùm, & transfigurâtus est ante eos. Et réliqua.

Homilîa S. Joánnis Chrysóstomi.

Homilîa 57. in Matthæum.

Nam quóniam dixit: Si quis vult post me venîre, tollat crucem suam, & sequâtur me: hac de causa eos, qui céntíes pro Dei præceptôrum custódia, & pópuli qui sibi créditus fúerat, mortem suscepíssent, in médium prodûcit: Quorum utérque, cùm ánimam perdíderit, invênit eam: utérque sanè magna libertâte advérsus tyránnos locúti sunt: alter advérsus Ægyptium, alter advérsus Achab, & quod magnum est, pro ingrátis homínibus, & inobediéntibus, à quíbus in atrócia perícula compúlsi sunt: qui etsi priváti, & absque potestâte fúerant, propósitum tamen habúerint, ab idolôrum cultu pópulum erípere: quorum alter tardus lingua, & voce ténuis, alter étiam áliquo modo rustítior; & utérque sæculárium divitiârum apprîmè contémptor.

℟. Vocâvit nos Deus vocatiône sua sancta, secúndùm grátiam suam, quæ manifestâta est nunc, * Per illuminatiônem Salvatôris nostri Jesu Christi. ℣. Qui destrúxit mortem, illuminâvit autèm vitam in incorruptiônem. Per illuminatiônem.

Lectio viii.

Ad hæc ómnia, suæ quoque glóriæ Apóstolos admonêbat, cum assístere fecísset, non ut ad similitúdinem solùm, sed ut ad majôrem certándo statum conscénderent. Quare quando dixérunt: Dicâmus ignem de cælo descéndere, & Elíæ, qui hoc fecit, meminérunt: Nescítis, respóndit, cujus spíritus estis: ad patiéntiam eos, & malôrum tolerántiam per doni præstántiam exercêbat. Non putet autem áliquis, Elîam nos tamquam imperféctum vilipéndere; perféctum enìm illum omnînò, témporum tamen suôrum consideratiône arbitrâmur fecísse. Nam cum puerílior tunc, ut ita dicam, mens hóminum fúerit, non tam exquisíta egêbat doctrína.

℟. Deus qui fecit de ténebris lumen splendéscere, illúxit in córdibus nostris: * Ad illuminatiônen sciéntiæ claritâtis Dei, in fácie Jesu Christi. ℣. Exôrtum est in ténebris lumen rectis corde, miséricors, & miserâtor, & justus. Ad illuminatiônem. Glória Patri. Ad illuminatiônem.

Nona léctio de Sanctis Martyribus Hippólyto, & Cassiáno, *ut in Breviário.*

In Láudibus fit commemorátio Infraoctávæ S. Lauréntii, & SS. Hippólyti, &c.

Die xxvi. Augusti.

Fit de S. Vincéntio à Paulo Conf. dupl. *ut in Breviário, dies xix. Júlii*; *9. léctio, & com.* S. Zephyríni Pap. & Mártyris *in Láudibus, & Missa.*

FESTA SEPTEMBRIS.

Die vii.

In Festo Translatiônis S. Euláliæ Emeriténsis V. & M. Patrónæ totîus Diœcêsis.

Duplex *in tota illa, & in Matrîce & Civitâte cum Octáva.*

Ad Vesperas.

Aña. Beâta Eulália, *cum réliquis de Láudibus. Psalm.* Dixit Dóminus, *cum réliquis de commúni Virginum.*

Capitulum.

1. ad Cor. 10. d.

Fratres, qui gloriâtur, in Dómino gloriêtur; non enim qui se ipsum comméndat, ille probâtus est, sed quem Deus comméndat.

Hymnus.

Vírginis laudes cánimus pudícæ,
Mille quæ sertis redimîta frontem
Dúplices palmas méruit reférre
Sánguine partas.
Tecta festîna egréditur patérna;
Nec timet noctem, pavet aut tenébras;
Prævia sed luce áperit rubêta
Cælicus ordo.
Intrat & passu Eméritam velóci:
Júdicis durum stetit ad tribûnal,
Arguens cæcas venerâre gentes
Númina vana.
Dúlcibus verbis, studiísque tentat
Prætor emollîre ánimum puéllæ,
Offerat saltem pia thura Divis,
Cæsari placens.
Illa falláces rénuit loquélas;
Nulla promíssa allíciunt, iníquis
Pérnegat sensus: velut alta rupes
Flúctibus obstat.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus,
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua.
℟. Inténde, prósperè procêde, & regna.

AD MAGNIFICAT. AÑA.

Beâta Eulália úngulis férreis usque ad ossa dilaniâta, læto ore notas númerans, dicêbat: Nunc, Christe Jesu, in meo córpore his notis fórtiùs inscríberis. Deléctat me hos ápices légere, qui tua trophæa, noménque tuum sánguinis púrpurâ scripta loquúntur.

ORATIO.

Omnípotens sempitérne Deus, qui regiônem nostram Beátæ Eulállæ Vírginis & Mártyris tuæ pretióso córpore illustrári providísti: concêde propítius, ut qui ejus Translatiônem celebrâmus in terris, ipsîus sacræ Vírginis consórtium mereâmur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit com. S. Lauréntii Epíscopi, & Conf.

AD MATUTINUM INVITATORIUM.

Regem Vírginum Dóminum, * Venîte adorêmus.
Psalm. Venîte, exultêmus.

HYMNUS.

Infremit Prætor, rabiêque frendet,
Vérbera inténtat, móveant puéllam
Cuncta frustrà; fórtior & resístit
Ipsa tyránno.
Ungulæ carnes lániant cruéntæ;
Virgo sed plagas númerans hiúlcas
Gaudet, & Christi célebrat triúmphos
Voce sonóra.
Præstat inscríptos ápices notâre
Púrpurâ tinctos, quibus exarántur
Nóminis magni alma tui trophæa
Máxime Christe.
Inquit: At Prætor fúriis prehénsus
Bálneat fervénte óleo mamíllas:

Cal-

Calce, tum rivis férvidis aquârum
Corpus adûrit.
Attamen calce, ex liquidôve plumbo
Nulla nec parva Euláliam favílla
Lædit, expérta ómnia temperâta
Virgo decôra.
Sit decus Patri, genitæque Prolí,
Et tibi compar utriúsque virtus,
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

In primo Nocturno, Aña.

Beâta Eulália Deo timorâta, mente, & córpore casta, ac Religiône pudîca, docebâtur à Donáto Presbytero.

Psalm. 8.

Dómine, Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam elevâta est magnificéntia tua * super cælos.

Ex ore infántium, & lactentium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimîcum & ultôrem.

Quóniam vidêbo cælos tuos, ópera digitôrum tuôrum: * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * Aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis, glória & honôre coronásti eum, * & constituísti eum super ópera mánuum tuârum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves, & boves univérsas, ínsupèr & pécora campi.

Vólucres cæli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Glória Patri, &c.

Aña. Beâta Eulàlia Deo timorâta, mente, & córpore casta, ac Religiône pudîca docebâtur à Donáto Presbytero.

Aña. Ab infántia rudiméntis Christi confitéri docebâtur.

Psalm. 18.

Cæli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eôrum.

In omnem terram exîvit sonus eôrum, * & in fines orbis terræ verba eôrum.

In sole pósuit tabernáculum suum, & ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exsultâvit ut gigas ad curréndam viam, * à summo cælo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat à calôre ejus.

Lex Dómini immaculâta convértens ánimas: * testimónium Dómini fidêle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificâta in semetípsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiôsum multum: * & dulciôra super mel & favum.

Etenim servus tuus custôdit ea: * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? Ab ocúltis meis munda me: * & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculâtus ero: * & emundâbor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjûtor meus, * & redémptor meus.

Aña. Ab infantia rudiméntis Christi confitéri docebâtur.

Aña. Annos adolescéntiæ pænè ingréssa, fidem, quam sancta devotiône concéperat, ánimo fortiôre servâbat.

Psalm. 23.

Dómini est terra, & plenitûdo ejus: * orbis terrârum, & univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundâvit eum, * & super flúmina præparâvit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, & mundo corde, * qui non accêpit in vano ánimam suam, nec jurâvit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiônem

nem à Dómino, * & misericordiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles, * & introîbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis, & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles, * & introîbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtûtum, ipse est Rex glóriæ.

Aña. Annos adolescéntiæ pænè ingréssa, fidem, quam sancta devotiône concéperat, ánimo fortiôre servâbat.

℣. Spécie tua, & pulchritudine tua.

℟. Inténde, prósperè procêde, & regna.

De Epístola prima B. Pauli Apóstoli ad Coríntihios.

Cap. 7. c.

LECTIO I.

De Virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tanquam misericordiam consecûtus à Dómino, ut sim fidêlis. Exístimo ergo hoc bonum esse própter instántem necessitâtem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligâtus es uxóri? noli quærere solutiônem. Solûtus es ab uxôre? noli quærere uxôrem. Si autèm accéperis uxôrem, non peccásti. Et si núpserit virgo non peccâvit. Tribulatiônem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut & qui habent uxóres, tanquam non habéntes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidéntes: & qui utúntur hoc mundo, tanquam non utántur; præterit enim figûra hujus mundi.

℟. Diem festum sacrátæ Vírginis Euláliæ celebrêmus: quálitèr passa sit ad memóriam revocêmus: tértio décimo ætâtis anno mortem superándo, vitam invênit. * Quia solum vitæ diléxit auctôrem. ℣. Infántia quidem computabâtur in annis; sed erat senéctus mentis imménsa. Quia solum.

Lectio ii.

Volo autem vos sine solicitúdine esse. Qui sine uxôre est, solícitus est quæ Dómini sunt, quómodò pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, solícitus est quæ sunt mundi, quómodò pláceat uxôri, & divîsus est. Et múlier innúpta & virgo cógitat, quæ Dómini sunt: ut sit sancta córpore, & spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodò pláceat viro. Porrò hoc ad utilitâtem vestram dico; non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id, quod honéstum est, & quod facultâtem præbeat sine impediménto Dóminum obsecrándi.

℟. Ab ipsa infántia Christi fidem edócta, non solùm exáctè ritus Christiános servâbat, verùm dari sibi occasiônem expetêbat, qua per martyrium ad cælum posset evolâre. * Quia fidem, quam sancta devotiône concéperat, ánimo fortiôre servâbat. ℣. Hæc est Virgo sápiens, & una de número prudéntum. Quia fidem.

Lectio iii.

Si quis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine sua, quòd sit superadúlta, & ita opórtet fieri: quod vult fáciat: no peccat, si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitâtem, potestâtem autem habens suæ voluntâtis, & hoc judicâvit in corde suo, servâre vírginem suam, benè facit. Igitur & qui matrimónio jungit vírginem suam, benè facit; & qui non júngit, mélius facit. Múlier alligâta est legi quanto témpore vir ejus vivit. Quòd si dormíerit vir ejus, liberâta est; cui vult nubat: tantum in Dómino. Beátior autem erit, si sic permánserit, secúndùm meum consílium: puto autem, quòd & ego spíritum Dei hábeam.

℟. Euláliam patérna cura ob metum persecutiônis in villa tenêbat abscónditam, thoro dicâtam, & váriis crepúndiis, ut custódiam delinîret, oblátis, quæ ómnia repúlerat. * Quia Christo sponso suo se totam devóverat. ℣. Hæc est, quæ nescîvit thorum in delícto, habêbit fructum in respectiône animârum sanctârum. Quia Christo.

Gló-

Glória Patri. Quia Christo.

In secundo Nocturno.

Aña. Virgo magnánima nocte consúrgens, læta progrédiens, ardénti desidério ad martyrium properâbat.

Psalm. 34.

Eructâvit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velócitèr scribéntis.

Speciôsus forma præ filiis hóminum, diffûsa est grátia in lábiis tuis: * proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.

Spécie tua, & pulchritúdine tua, * inténde, próspere procêde, & regna.

Propter veritâtem, & mansuetúdinem, & justítiam: * & dedûcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acutæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicôrum Regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi: * virga directiônis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odísti iniquitâtem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cásia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te filiæ regum in honôre tuo.

Astitit regîna à dextris tuis in vestitu deauráto, * circúmdata varietâte.

Audi filia, & vide, & inclína aurem tuam: * & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concupíscet Rex decôrem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus, * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ Regis ab intus: * in fimbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia, & exsultatiône: * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatiône, & generatiônem.

Proptéreà pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * & in sæculum sæculi.

Aña. Virgo magnánima nocte consúrgens, læta progrédiens, ardénti desidério ad martyrium properâbat.

Aña. Nocte viam secûta virgo, lucem hábuit pro duce, & diem méruit.

Psalm. 45.

Deus noster refúgium, & virtus: * adjûtor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimìs.

Proptéreà non timébimus, dum turbábitur terra, * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ sunt aquæ eôrum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitâtem Dei: * sanctificâvit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus non commovébitur: * adjuvâbit eam Deus mane dilúculò.

Conturbátæ sunt gentes, & inclinâta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtûtum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Venîte, & vidête ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma: * & scuta combûret igni.

Vacâte, & vidête, quóniàm ego sum Deus: * exaltâbor in géntibus, & exaltâbor in terra.

Dóminus virtûtum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Aña. Nocte viam secûta virgo, lucem hábuit pro duce, & diem méruit.

Aña. Convírginâli suæ Júliæ comitánti dixit: Notum sit tibi dómina soror, quia etsì novissima vado, prior pátiar.

Psalm. 46.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimìs * in civitâte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundâtur exsultatiône univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilônis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscêtur, * cùm suscípiet eam.

Quóniàm ecce reges terræ congregáti sunt, * convenérunt in unum.

Ipsi

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitâte Dómini virtûtum, in civitâte Dei nostri: * Deus fundâvit eam in ætérnum.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: * justítia plena est déxtera tua.

Lætêtur mons Sion, & exsúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.

Circúmdate Sion, & compleƈtímini eam: * narrâte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtûte ejus, * & distribúite domos ejus, ut enarrêtis in progénie áltera.

Quóniàm hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Aña. Convirgináli suæ Júliæ comitánti dixit: Notum sit tibi dómina soror, quia etsi novíssima vado, prior pátiar.

℣. Adjuvâbit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

Lectio iv.

Cum beâta Eulália, Eméritæ, anno Christi trecentésimo tértio, quarto Idus Decémbris in persecutiône Diocletiáni & Maximiáni, sub ipsôrum in Lusitánia Prætôre Calphurniáno, gloriosíssimum subiísset martyrium: ejus exánime corpus piâ Christianôrum curâ clàm ablâtum, sepulturæque tráditum, ádeò miraculôrum splendôre (divíno providénte Sponso) coruscâre cœpit, ut & fidélibus concívibus tutâmen sæpíssimè præbúerit, & invadéntibus hóstibus, non semel terrôrem intúlerit. Inde, vernánte jam apud Lusitániæ pópulos cathólica religiône, sacri cruôris irrigatiône fœcundáta: ita hujus sacræ Vírginis & Mártyris grata memória inváluit, ut in ejúsdem cultum célebre templum eréxerint íncolæ: ubi ipsîus relíquias sertis corónis, & váriis flóribus decorábant, suúmque patrocínium précibus & orationíbus impetrábant.

℟. Audiens Eulália sævítiam tyránni, & Christianôrum cruciâtus, latíbula perôsa, noctù septa, cláustraque fugax áperit, & iter ingréditur per ínvia, & vépribus oblîta loca; * Angélico tamen comitâta choro, & luce cælitus demíssa. ℣. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invênit: lucérna pédibus meis verbum tuum, & lumen sémitis meis. Angélico tamen.

Lectio v.

Tanta autem à primis tempóribus penes templum illud vigescêbat relígio, ejúsque celébritas ádeò augebâtur in dies, ut ex ómnibus Christianôrum regiónibus, ad coléndas in eo beátæ Euláliæ relíquias peregrinôrum multitûdo conflúeret. Unde ipsíus memóriæ, & honóri plúrima per totam Hispániam templa, quæ hucúsquè pérmanent, fuérunt constrúcta. Secúta pósteà totîus ferè Hispániæ per Saracenôrum inundatiônem mísera devastatiône, Silo invictôrum Asturum Rex, fidéli congregáto exércitu, excursiônem usque in Lusitániam fecit, Emerítâque urbe expugnáta, sepúlchrum beátæ Eulálìæ reserâvit, ejúsque corpus sacrum, suæ victóriæ trophæum, in Astúrias asportâvit, & in Eccélsia sancti Joánnis Apóstoli, in território Pravénsi, ab ipso ædificáta, pio cultu repósuit. Aliquot autem decúrsis annis, Rex Alphónsus secúndus, cognoménto Castus, Ecclésia Cathedráli Ovétensi erécta, in ejus Cámera, asservándis innúmeris sacris relíquiis destináta, beátæ Eulállæ lípsana decéntiùs collocâvit.

℟. Beâta Eulália lætíssimè, & constántèr festinâbat ad martyrium, * quasi ad épulas invitâta: & agônem suum Dómino précibus commendâbat. ℣. Nobílibus orta natálibus, ab ignóbili gaudens trahebâtur ad martyrium. Quasi ad épulas.

Lectio vi.

Tribus exindè fermè transáctis sæculis, Pelágius Ovetènsis Antístes beátæ Eulálìæ córpus magno totîus pópuli concúrsu, & lætítia, in argéntea, pulchrâque urna ab Alphónso Castéllæ, & Legiônis Rege Sexto obláta recónditum, fidélium veneratióni expósuit; ejusdémque sacræ Vírginis, & Mártyris officium ex Gálliạ Narbonénsi, ubi jàndiù

diù celebrabâtur, descríptum peculiáribus Antíphonis, & Responsóriis ornâtum, in totâ suâ Diœcési recitári decrêvit. Unde evênit, ut Asturum populôrum devótio beâtam Euláliam, út speciâlem præcipuámque sibi Patrônam colúerit; donec anno Christi millésimo sexcentésimo trigésimo nono, auctoritâte Apostólica fuit confirmâtum, quod tali pia affectiône fúerat institûtum. Solemnitâtem verò Translatiônis hújusce sacræ Vírginis à multis tempóribus votivè tantùm celebrári sólitam, à Cleménte Nono, Pontífice Máximo sub ritu dúplici quotánnis, séptimo Idus Septémbris, totâ Oveténsi Diœcési, piis incolârum précibus fuit impetrâtum.

℟. Ad passiônem ducta Eulália tyránno dixit: Quid perséqueris Christiános, & níteris in vanum pérdere Vírginem Dei? * Dóminus me docet in veritâte sua: ídeò non sedúces adolescéntiam meam. ℣. Ego annôrum sum trédecim; putas ne ætâtem meam tuo posse terrôre turbári? Dóminus me docet. Glória Patri. Dóminus me.

In tertio Nocturno.

Aña. Dóminus docet me in veritâte sua: ídeò non sedúces adolescéntiam meam.

Psalm. 95.

Cantâte Dómino cánticum novum: * cantâte Dómino omnis terra.

Cantâte Dómino, & benedícite nómini ejus: * anuntiâte de die in diem salutâre ejus.

Anuntiâte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniàm magnus Dóminus, & laudábilis nimìs: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniàm omnes dii Géntium dæmónia: * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, & pulchritûdo in conspéctu ejus: * sánctitas & magnificéntia in sanctificatiône ejus.

Afférte Dómino pátriæ Géntium, afférte Dómino glóriam & honôrem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introîte in átria ejus: * adorâte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveâtur à fácie ejus uni-

univérsa terra : * dícite in Géntibus quia Dóminus regnâvit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur : * judicâbit pópulos in æquitâte.

Læténtur cæli, & exsúltet terra, commoveâtur mare, & plenitûdo ejus : * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvârum à fácie Dómini, quia venit : * quóniàm venit judicâre terram.

Judicâbit orbem terræ in æquitâte, * & pópulos in veritâte sua.

Aña. Dóminus docet me in veritâte sua : ídeò non sedúces adolescéntiam meam.

Aña. Terrénæ vitæ blandiméntis non deléctor ; álteram beâtam spero vitam.

Psalm. 96.

Dóminus regnâvit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, & calîgo in circúitu ejus : * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcêdet, * & inflammâbit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, & commôta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini : * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília : * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adorâte eum omnes Angeli ejus : * audîvit, & lætâta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.

Quóniàm tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimìs exaltâtus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum odìte malum : * custôdit Dóminus ánimas sanctôrum suôrum, de manu peccatôris liberâbit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * & confitémini memóriæ sanctificatiônis ejus.

Aña. Terrénæ vitæ blandiméntis non deléctor : álteram beâtam spero vitam.

Aña. Hábeo sponsum dívitem, immortâlem, qui te, tuósque perdet.

Psalm.

Psalm. 97.

Cantâte Dómino cánticum novum: * quia mirabília fecit.

Salvâvit sibi déxtera ejus, * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutâre suum: * in conspéctu Géntium revelâvit justítiam suam.

Recordâtus est misericórdiæ suæ, * & veritâtis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ, * salutâre Dei nostri.

Jubilâte Deo omnis terra: * cantâte & exsultâte & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara, & voce Psalmi: * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubilâte in conspéctu Regis Dómini: * moveâtur mare, & plenitûdo ejus: orbis terrârum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exsultábunt à conspéctu Dómini: * quóniam venit judicâre terram.

Judicâvit orbem terrârum in justítia, * & pópulos in æquitâte.

Aña. Hábeo spónsum dívitem, immortâlem, qui te, tuósque perdet.

℣. Elêgit eam Deus, & præelêgit eam.

℟. In tabernáculo suo habitâre facit eam.

Léctio S. Evangélii secúndùm Matthæum.

Cáp. 25.

Lectio VII.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælôrum decem Virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso, & sponsæ. Et réliqua.

Homilìa S. Gregórii Papæ.

Homil. 12. *in Evang.*

Sæpe vos, fratres charissími, admóneo, prava ópera fúgere, mundi hujus inquinaménta devitâre; sed hodiérna sancti Evangélii lectiône compéllor dícere, ut & bona quæ ágitis, cum mágna cautéla teneâtis: ne per hoc, quod à vobis rectum géritur, fávor aut grátia humâna requirâtur: ne appetîtus laudis subrêpat, & quod foris osténditur, intùs à mercêde vacuêtur. Ecce enim Redemptôris voce decem Vírgines, & omnes dicúntur Vírgines, & tamen

intra beatitúdinis jánuam non omnes sunt recéptæ: quia eârum quædam dum de virginitâte sua glóriam foris éxpetunt, in vasis suis óleum habêre noluérunt.

℟. Divérsis tormentôrum genéribus macerâta, pendens in equúleo super his ómnibus gloriabâtur Eu ália, commémorans se ipsam in quibus se ab infántia præparáverat. * Omnibus se audiéntibus exhortans dicêbat. ℣. Credi opórtet unum, & verum Deum Patrem cæléstem, & Jesum Christum Fílium ejus Omnipoténtem cum Spíritu Sancto adorándum, qui est benedíctus in sæcula. Omnibus.

Lectio viii.

Sed priùs quæréndum nobis est, quid sit regnum cælôrum, aut cur decem Virgínibus comparêtur: quæ étiam Vírgines prudéntes, & fátuæ dicántur. Dum enim cælôrum regnum constat, quia reprobôrum nullus ingréditur, étiam fátuis virgínibus, cur símile esse perhibêtur? Sed sciéndum nobis est, quòd sæpe in sacro elóquio regnum cælôrum præséntis témporis Ecclésia dícitur. De quo álio in loco Dóminus dicit: Mittet Fílius hóminis Angelos suos, & cólligent de regno ejus ómnia scándala. Neque enim in illo regno beatitúdinis, in quo pax summa est, inveníri scándala póterunt, quæ colligántur.

℟. Ardéntibus facibus, lampadibúsque ejus látera aduréntibus, eârum flammam in caput, & fáciem involitántem ore apérto hausit virgo. * Ex quo pródiens colúmba candidíssima, spectántibus cunctis in cælum evolâvit. ℣. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amîca mea, colúmba mea, formôsa mea, & veni. Ex quo. Glória Patri. Ex quo.

Lectio ix.

In quinque autem córporis sénsibus unusquísque subsístit. Geminâtus autem quinárius denárium pérficit. Et quia ex utrôque sexu fidélium multitúdo collígitur, sancta Ecclésia decem virgínibus símilis esse denuntiâtur. In qua quia mali cum bonis, & réprobi cum eléctis admísti sunt, rectè símilis virgínibus prudéntibus & fátuis esse perhibêtur. Sunt namque plerique continéntes, qui ab appetítu se exterióri custódiunt, & spe ad interióra rapiúntur, carnem mácerant,

rant, & toto desidério ad supérnam pátriam anhélant: ætérna præmia éxpetunt, pro labóribus suis recípere laudes humánas nolunt. Hi nimirùm glóriam suam non in ore hóminum ponunt, sed intra consciéntiam cóntegunt. Et sunt plerîque, qui corpus per abstinéntiam afflígunt, sed de ipsa sua abstinéntia humános favóres éxpetunt.

Te Deum laudâmus, &c.

Ad Laudes, et per Horas.

Aña. Beâta Eulália fide plena, spe intrépida, caritâte flagrans ad martyrium spontè festinâbat. *Psalm.* Dóminus regnâvit, *cum réliquis de Dominica.*

Aña. Crudélibus lacerâta verbéribus, fortióri ánimo Prætôris sævitiam, & Cæsaris vanam religiônen increpâbat.

Aña. Tanquam aurum in fornâce probâta, laudes Dómino decántans, incólumis exîvit à flammis.

Aña. Benedîco te Pater Dómini mei Jesu Christi, quia per Fílium tuum, nec vérbera, nec ignis, nec calx, nec plumbum nocuêre córpori meo.

Aña. Qua Spíritus Sanctus spécie aparêre non dedignâtur, Eulàliæ spíritus ad cæléstem pátriam evolâvit.

Capitulum.

1. Cor. 10. d.

Fratres, qui gloriâtur, in Dómino gloriêtur: non enim qui se ipsum comméndat, ille probâtus est, sed quem Deus comméndat.

Hymnus.

Lámpades postrémò Vírgini ligátæ
Applicat, quæ ignem caput occupántem
Transfert in pectus, hiánteque ore
Hausit apérto.
Spíritus formam récipit colúmbæ,
Quæ volans cælum pénetrat corúscum:
Cóntremit lictor fúgiens, relícto
Córpore solo.
Membra tan sævè lacerâta nuda
Cóntegit cælum nive decidénte:

Donat hæc pura Attálicos amíctus
Artubus almis.
Virgo, quæ es firma Eméritæ colúmna,
Astures fortes fóveas benígna:
Qui tibi semper réferant Patrónæ
Omnia fausta.
Audias quod nos férimus lubéntèr
Súpplices votum: récipe & secúnda
Témpora indúlge, ut tibi personêmus
Cármina sancta.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque Virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.
℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.
℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus.

Aña. Beâta Eulália, dum lampádibus ardéntibus urerêtur, Prætóri dixit: Assum est jam corpus meum, jube sale conspérgi, ne cæléstí spónso insípidum præpares holocáustum.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui regiônem nostram Beátæ Eulálíæ, Vírginis & mártyris tuæ pretióso córpore illustrári provídisti: concêde propítius, ut qui ejus Translatiônem celebrâmus in terris, ipsius sacræ vírginis consórtium mereâmur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam.

Aña. Crudélibus lacerâta. *Capitulum* Fratres: Qui gloriâtur, *ut supra.*

℟. *brev.* Spécie tua, * & pulchritúdine tua. Spécie tua.

℣. Inténde, próspere procêde, & regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie tua.

℣. Adjuvâbit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

Ad Sextam.

Aña. Tanquam aurum.

Capitulum.

2. Cor. 11.

Æmulor enim vos Dei æmulatiône. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibêre Christo.

℟. *brev.* Adjuvâbit eam * Deus vultu suo. Adjuvâbit.

℣. Deus in médio ejus non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvâbit eam.

℣. Elêgit eam Deus, & præelêgit eam.

℟. In tabernáculo suo habitâre facit eam.

Ad Nonam.

Aña. Qua Spíritus Sanctus.

Capitulum.

Eccles. 51. 6.

Dómine Deus meus, exaltasti super terram habitatiônem meam, & pro morte defluénte deprecâta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiônis meæ, & in témpore superbôrum sine adjutório.

℟. *brev.* Elêgit eam Deus, * & præelêgit eam. Elêgit.

℣. In tabernáculo suo habitâre facit eam. Et præelêgit. Glória Patri. Elêgit.

Diffûsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Vésperæ de Nativitâte B. M. V. *cum comm.* S. Euláliæ, *ut séquitur.*

Aña. Ad conspéctum colúmbæ prodeúntis ab ore beátæ Euláliæ pávidi fúgiunt lictóres, relícto corpúsculo nudo, quod nix è cælo súbitò demíssa, vice lintéoli candidíssimi opéruit.

℣. Diffûsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui regiônem, *ut suprà.*

Die xii. Septembris.

In Festo S. Vincéntii Abbâtis Mártyris, duplex *in totâ Diœcési.*

Omnia de commúni unîus mártyris præter sequéntia.

Ora-

ORATIO.

Præsta quæsumus, Omnípotens Deus, ut intercedénte beáto Vincéntio mártyre tuo, & à cunctis adversitátibus liberêmur in córpore, & à pravis cogitatiónibus mundêmur in mente. Per Dóminum.

IN PRIMO NOCTURNO.

Lectiónes de Epístola B. Pauli Apóstoli ad Romános: Fratres, debitóres sumus, *ut in commúni plurimôrum Mártyrum.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex Breviário antiquo Oveténsi.

LECTIO IV.

Hispániam, sive id soli metallorúmque ubértas, seu doméstica seditiónes, seu cæli tempéries effécerit, éxteræ natiónes, & pleræque bárbaræ sæpíssimè occupárunt. Nam & Carthaginénses, & Románi, & Gothi, & Mahometáni, & Wándali, & Aláni illam nonnúnquam possedérunt. Inter quos Suévi, Germániæ pópuli in illam irrumpéntes, Galláicos, ac vicínos illis pópulos in ditiônem suam redegérunt. Suévi ígitur Ariána hæresi inféĉti váriis dolis, variôque cruciátuum génere súbditos sibi pópulos in suam hæresim pertráhere conabántur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodîvit eum ab inimícis, & à seductóribus tutâvit illum. * Et dedit illi claritâtem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, & in vínculis non derelîquit eum. Et dedit illi.

LECTIO V.

Quorum Rex Riciliânus Vincéntium Abbâtem Cœnóbii Sanctôrum mártyrum Cláudii, Lupértii, & Victorícii, in subúrbio Legiônis urbis, sub divi Benedícti régula, virum orthodóxæ fidei observantíssimum ad se in Concílium, quòd congregáverat, venîre jussit: quem gravíssima objurgatiône increpâvit, quòd in Ariânum dogma non consentîret. Cui Vincéntius respóndit, sibi præstâre mori, quàm cathólicam fidem desérere, quam Nicæna Synodus sua auctoritâte probásset.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine: * Et volun-

luntâte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corônam de lápide pretióso. Et voluntâte.

Lectio vi.

Quo audíto, ira accénsus Riciliânus, spoliâtum Vincéntium in Concílii médio crudélitèr flagellári jussit, quoúsque sanguis in terram deflúeret. Deínde tenebróso in cárcere servári præcêpit, & suo ánnulo fores cárceris obsignári. Sed divínitùs ab Angélo, multa luce cárcerem illustránte, pristínæ integritáti Vincéntius restitûtus, laudes Deo decantâbat. Prodúctus ítaque postrídiè Vincéntius in Concílium alta voce, coram ómnibus Concílio adstántibus, fídei Nicænæ Symbolum (quo Ariâna hæresis damnâtur) conféssus est, & omni timôre depósito, verbis Athanásii usus, æqualitâtem Personârum cónfitens, asséruit in sancta Trinitâte nihil priùs, aut postériùs, nihil majus, aut minus esse; sed totas tres persónas Patrem, Fílium, & Spíritum Sanctum coætérnas sibi ínvicem esse, & coæquáles. Propter quod morti addícitur. Passus est autem quinto Idus Mártii anno Dómini sexcentésimo trigésimo. Post multum verò témporis ejus corpus Ovêtum est translâtum: ubi magna cum veneratiône cólitur.

℟. Stola jucunditâtis índuit eum Dóminus: * Et corônam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibâvit illum Dóminus pane vitæ, & intelléctus: & aquâ sapiéntiæ salutâris potâvit illum. Et corônam. Glória Patri. Et corônam.

In tertio Nocturno.

Léctio S. Evangélii secúndùm Joánnem.

Cap. 12. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis. Nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

Homilía Sancti Augustíni Epíscopi.

Lectio vii.

Ex tractátu 51. in Joánnem.

Cùm ergo causæ artículus vénerit, ut hæc condítio propo-

ponâtur: aut faciéndum esse contra Dei præcéptum, aut ex hac vita emigrándum. Quorum duôrum homo, si cogâtur álterum elígere, comminánte mortem persecutôre, ibi éligat, Deo dilécto, émori, quàm Deo offénso, vívere: ibi óderit in hoc mundo ánimam suam, ut in vitam ætérnam custódiat eam. Siquis mihi minístrat, me sequâtur. Quid est me sequâtur, nisi me imitêtur? Christus enim pro nobis passus est, ait Apóstolus Petrus, relínquens nobis exémplum, ut sequâmur vestígia ejus.

℟. Corôna áurea super caput ejus: * expréssa signo sanctitâtis, glória honôris, & opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corônam de lápide pretióso. Expréssa signo.

Lectio viii.

Ecce, quod dictum est: Si quis mihi minístrat, me sequâtur. Quo fructu? qua mercêde? quo præmio? Et ubi sum, inquit, ego, illic & miníster meus erit. Gratìs amêtur, ut óperis quo ministrâtur illi, prétium sit esse cum illo: ubi enìm benè erit sine illo? aut quando malè esse póterit cum illo? Audi evidéntiùs. Et siquis mihi ministráverit, honorificâbit eum Pater meus. Quo honôre, nisi ut sit cum fílio ejus? Quod enìm supérius ait, ubi ego sum, illic & miníster meus erit, hoc intellígitur exposuísse, cum dicit: Honorificâbit eum Pater meus. Nam quem majôrem honôrem accípere póterit adoptâtus, quàm ut sit, ubi est únicus, non æquâlis factus divinitáti, sed consociâtus æternitâti?

℟. Hic est verè martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitâtis glóriam quæsîvit, sed ad cæléstia regna pervênit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

Quid sit ministrâre Christo, cui óperi merces tanta propónitur, hoc pótius debêmus inquírere. Si enim hoc putavérîmus esse Christo ministrâre, ea quæ sunt córpori necessária, præparâre, aut cœnánti cibum cóquere, vel appónere, vel póculum dare, po-

potúmque miscêre: fecérunt hoc illi, qui potuérunt eum in córpore habêre præséntem, sicut Martha, & María, quando & Lázarus unus erat ex discumbéntibus; sed eo modo Christo étiam Judas pérditus ministrâvit. Nam & lóculos ipse habêbat: & quamvis ex eis, quæ mittebántur, sceleratíssime furarêtur, per illum tamen étiam necessária parabántur.

Te Deum Laudâmus, &c.

In Láudibus fit commemorátio Octávæ Nativitâtis B.M. V. *& in civitâte étiam* S. Euláliæ: *eôdem modo in vésperis.*

Si hoc festum vénerit in Domínica, transfértur in primam diem non impedîtam; quia tunc debet fieri de dulcíssimo Nómine B.M. V. *quod festum est* duplex majus, *ut notâtur in Breviário in córpore.*

Dominica iii. Septembris.

Si non cadit infra octávam Nativitâtis B. M. V. *fit de festo septem Dolôrum* ejúsdem B. M. V. duplex majus, *ut in Breviário in própriis SS. Hispániæ, étiam occurrénte álio festo, quod non sit superiôris ritus. Si autem est intra dictam Octâvam Nativitâtis, transfértur in primam diem non impedîtam.*

Die xiv. Septembris.

Festum Exaltatiônis S. Crucis, duplex I. classis, *cum Octáva in tota Diœcési; & in Civitâte Octâva Translatiônis S.* Euláliæ dup.

Omnia ut in Breviário in córpore. In I. *vésperis nulla fit com. nisi in civitâte, in qua fit de* S. Eulália, *quæ est ut in* I. *Vésperis Festi Translatiônis, & étiam in Láudibus, Missa, &* 2. *Vésperis.*

Die xxi. Septembris.

Festum S. Matthæi Apóstoli & Evangelistæ dup. 2. clas. *item dies octâva* S. Crucis duplex.

Omnia de S. Matthæo, *ut in Breviário cum com.* S. Crucis *in utrísque Vésperis, Láudibus, & Missa.*

In secúndis Vésp. fit com. insupèr S. Joséphi à Cupertíno Conf. (*de quo fiet in die sequénti tanquam própria, cujus dies est in Breviário in* XVIII. *hujus, sicut in illo notâtur) &* SS. Maurítii, & sociôrum Mártyrum, *& de his com.* (*cum* 9. *lectiône*) *in Láudibus die* XXII. *& Missa.*

FESTA OCTOBRIS.

Die II.

Hac die non fit de SS. Angelis Custódibus *in hac Diœcési, quia jam factum fuit de ipsis in die* I. *Mártii.*

Fit autem de S. Wencesláo Rege M. *huic festo assignáta tanquam própria, cujus festum est in Breviário in córpore in die* XXVIII. *Septémbris, & amôtum est ab illa propter festum* B. Simônis à Roxas Conf. *de quo tunc fit* duplex.

Die XI. *fit de* S. Ludovíco Bertrándo Conf. duplex *in Hispánia, dies in Breviário in própriis SS. Hispán. in* X. *antecedénti.*

Die XIII. Octobris.

In festo Dedicatiônis Basílicæ Oveténsis S. Salvatôris. Duplex. I. classis *in tota Diœcési, & in Matrîce, Civitâte, necnon & ubicúmque in Diœcési non habêtur Dedicátio própria, & insupèr ubi fúerit consuetúdo, cum Octáva.*

Omnia ut in Breviário in commúni Dedicatiônis præter sequéntia.

In primis Vésperis nulla fit commemorátio, nisi vénerit in Domínica.

In secundo Nocturno.

Ex Roderíco Ximénio, Archiepíscopo Toletano.

Lectio IV.

Cùm propter Gothôrum Regum culpam, & Hispáni pópuli peccâta, Saracenôrum gens totam ferè Hispániam subjugásset, & nulla in eis civitas relicta esset, quæ Episcopâlem cáthedram habêret Rex Fróila, fugátis & ab Astúribus longè propulsátis Mauris, ædificáta Ovéto urbe, Ecclésiam ibi cóndidit Cathedrâlem, quam ex díruta Luco, urbe magnífica (ubi priùs cóndita fúerat) in hanc à se cónditam civitâtem tránstulit. Sed quod Fróila incêpit, Alphónsus cognoménto Castus, filius ejus, débito & glorióso fine terminâvit.

℟. Orántibus in loco isto, * Dimítte peccâta pópuli tui Deus, & osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, & da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israël inténde, qui dedûcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. Dimítte peccâta pópuli.

Lec-

Lectio v.

Hic Alphónsus, cùm multís virtútibus eminêret, palátia régia pulchro & forti ópere construxit Ovéti, & Ecclésiam ibi Cathedrâlem à patre Fróila inchoâtam, ita & ædifíciis ampliâvit, & redítibus ditâvit, & concéssis privilégiis honestâvit, ut Conditôris hujus Ecclésiæ nomen usque ad hæc témpora méritò obtíneat: fundâta est enim in honôrem sancti Salvatôris, & in ea Cathólicus Rex bis sena Apostolôrum duódecim altária, sena ex utrâque parte elevâvit, Ecclesiámque sanctæ Maríæ, & sancti Thyrsi ex lapídibus, & colúmnis marmóreis, argénto, & auro cum palátio regáli adornâvit; & Gothôrum glóriam tàm in Ecclésiis, quàm in palátiis, ut olim Toléti fúlserat, prout pótuit, reparâvit.

℟. O quàm metuéndus est locus iste! * Verè non est hîc áliud, nisi domus Dei, & porta cæli. ℣. Hæc est domus Dómini fírmitèr ædificâta, benè fundâta est supra firmam petram. Verè non est.

Lectio vi.

Et ut reparáto templo per Esdram & Nehemîam lætabántur júvenes, qui prióris templi glóriam ignorábant, & flebant senes, qui priôris templi magnificéntiam recolébant: sic ædificáto hoc templo, qui glóriam víderant antiquôrum per Hispániam templôrum, perfundebántur lácrymis & mœrôre; júvenes autem prætéritæ glóriæ ínscii, Regis Alphónsi magnália, cum láudibus extollébant. Quin & Rex pius, constrúcto templo, Sanctârum Reliquiârum arcam ex Monte Sacro in hanc Ecclésiam cum júbilo dedúxit, & in altári sancti Michaêlis collocâvit. Cujus viséndæ causa, ex univérsis orbis pártibus devóti concurrunt pópuli Christiáni, laudántes Dei benefícia, quæ Dóminus Jesus Christus ibîdem suis fidélibus impertîtur.

℟. Manè surgens Jacob erigêbat lápidem in títulum: fundens óleum désuper, votum vovit Dómino. * Verè locus iste sanctus est, & ego nesciêbam. ℣. Cumque evigilásset Jacob de somno ait: Verè locus. Glória Patri. Verè locus iste.

In Missa Credo, *& per Octâvam.*

In *Vésperis com.* S. Calísti Pap. & M.

Die xvi. Octobris.

Fit de Infraoctáva Dedicatiônis Ecclésiæ, sem. *ut in iv. die.*

Omnia ut in Breviário in cñi. Dedicatiônis in iv. die.

Ubi non ágitur de hoc Festo cum Octáva, fiet hódie de S. Eduárdo Rege Conf. sem. *tanquam dies própria, quæ est in Breviário xiii. bujus.*

Die xx. Octobris.

De die Octáva Dedicatiônis Basílicæ Oveténsis S. Salvatôris, duplex.

Omnia ut in Breviário in cñi. Dedicatiônis, & in die Octáva.

Ubi non celebrâtur Octáva, fiet hódie de S. Joánne Kántio Conf. sem. *ut in Breviário pro Sanctis de novo concéssis.*

Die xxi. Octobris.

In Matrîce, Civitâte &c. fit de S. Eduárdo Rege Conf. *tanquam dies própria ei assignâta, quia in die xvi. solùm habet locum ubi non fit de Dedicatiòne cum Octáva. Com. (cum 9. lectiòne ex duâbus)* S. Hilariônis Abb. Conf. SS. Ursulæ, & sociârum Vírginum, & Mm. *in Láudib. & Missa, étiam in* 1. *Vésp.*

Ubi factum est de S. Eduárdo *in die xvi, hódie fiet de* S. Sem. transláto, *cui cómpetat secúndùm órdinem translatiônis.*

Die xxvi. Octobris.

De SS. Servándo, & Germáno Frátribus Martyribus dup. *in Hispánia, étiam in Domínica, quia est tanquam dies própria. in Breviário in própriis SS. Hispán. est in die xxiii. 9. léct. & com.* S. Evarísti Pap. & M. *in primis Vésp. Láud. & Miss.*

Die xxvii. Octobris.

De S. Fructo Conf. dup. *in Hispán. étiam in Domínica. In Breviário in própriis SS. Hisp. est in die xxv. 9. léct. Hom. Vigil.* SS. Simônis & Judæ Apostol. *Com. in Láud. & Missa, cum último Evangélio.*

Die xxx. Octobris.

In Matrîce &c. fit de S. Joánne Kántio Conf. *dies in Brev. xx. bujus.*

FES-

FESTA NOVEMBRIS.

In die II. *in qua fit com. ómnium fidélium Defunctôrum, possunt dici tres Missæ ex indúlto Apostólico pro Hisp. quarum prima est própria hujus diéi, secúnda, ut in Aniversário Defunctôr. præter* Orat. *tértia ut in Missis quotidiánis cum única* Orat. *In tribus dícitur sequéntia. Nemo potest accípere stipéndium étiam sponte oblâtum, nisi pro una, sub pœna Suspensiónis reservátæ Sedi Apostólicæ.*

Quando dies secúnda est Domínica, & fit de dicta Domínica, in fer. 2. *in qua recitâtur de* SS. Innumerabílibus Martyribus Cæsaraugustánis *in Hisp.* dup. *tunc, quamvis Offícium est de dictis Sanctis, Missæ sunt de Réquiem.*

Die ix. Novembris.

In festo Dedicatiônis Basílicæ S. Salvatôris, *fuérunt áddita sextæ lectióni ex dispositióne, & decreto SSmi. Dómini* Benedicti XIII. *felícis recordatiónis Papæ, verba sequéntia, quæ in Breviáriis anteriôris impressiónis non inveniúntur, nec in codícibus SS. de novo concessôrum, & ideò ponúntur hîc, ne illis cáreant.*

Eámdem Ecclésiam incéndiis, vastatiónibus, terræ insuper mótibus disjéctam, eversámque, sédula Summôrum Pontíficum cura reparâtam, nova póstmodum molitiône restitûtam, Benedíctus Décimus Tértius Póntifex Máximus, Ordinis Prædicatôrum, die vigésima octáva Aprîlis anni millésimi septingentésimi vigésimi sexti ritu solémni consecrâvit, ejúsque celebritâtis memóriam hac die recoléndam státuit.

In Domínica penúltima post Pentecóst. illa scílicèt, quæ occúrrit in die XIII. *hujus, vel in sequéntibus usque ad* XIX. *inclusivè, & non ánteà, neque pósteà, celebrâtur in hac Diœcési Festum* Patrocínii B.M.V. dup. majus, *étiam occupáta cum álio festo, dúmmodò non sit altiôris ritus.*

Omnia ut in Breviário in própriis SS. Hispániæ, com. Domínicæ in utrísque Vésperis, Láudibus (cum 9. léct.) & Missa. in hac Credo, Præf. B. M. V. Et te in Festivitâte, &c. *Evangél. últ. Dom. Concéditur Indulgéntia Plenária illis, qui interfúerint Missæ Conventuáli, & ibi rogáverint pro pace, & concórdia Príncipum Christianôrum.*

Si

Si in áliqua Ecclésia, aut loco occúrrat in dicta Domínica Festum altiòris ritus, tunc transfértur Festum Patrocínii *in Domínicam sequéntem, quæ est última post Pentecósten, juxta assignatiònem factam in hac Diœcési, pro hoc Festo. Et festum occúrrens transfértur in áliam próximè non impedîtam in utrôque casu.*

Die xxvii. Novembris.

Fit de S. Gregório Taumathúrgo Ep. & Conf. sem. *dies* xvii. *hujus in Breviário, sed hodiérna est illi tanquam própria in perpétuum.*

Omnia ut in Breviário in córpore.

FESTA DECEMBRIS.

Die viii.

Festum Puríssimæ & Immaculátæ Conceptiônis B. M. V. Hispániæ, & Indiârum Patrónæ, dup. I. clas. *cum Octáva.*

Omnia ut in Breviário, & cum officio novo in Hispánia.

Si vénerit in Domínica 2. *Advéntus, fit de dicto Festo cum com. Domínicæ in utrísque Vésperis, (cum* 9. *lectiône) Laúdibus, & Missa. Sin autem, fiet com. Fériæ tàm in* I. *Vésperis, sine ália commemor. quàm in secúndis, Láudibus, & Missa.*

Die x. Decembris.

In Festo S. Eulâliæ Emeriténsis, Vírginis, & Mártyris, Patrónæ Diœcêsis, duplex I. classis, *cum Octáva in tota Diœcési.*

Omnia ut in die Translatiônis ipsîus, quæ est in 7. *Septémbris, præter sequéntia.*

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi élígis, ut fórtia quæque confúndas: da nobis in festivitâte Sanctæ Vírginis, & Mártyris tuæ Euláliæ cóngrua devotiône gaudêre: ut & poténtiam tuam in ejus passiône laudêmus, & promíssum nobis percipiâmus auxílium. Per Dóminum.

Deinde fit commemorátio Fériæ tantùm, aut de Domínica, si concúrrat.

In

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Eulália, Virgo Libérii nóbilis Emeriténsis civis fília, à Presbytero Donáto fidem Christi edócta, patérna cura ob metum persecutiônis sub Maximiáno Imperatôre in loco, qui dicebâtur Porcejâna, & paréntis possésio erat, in fínibus Província Béticæ, prope Eméritam milliário trigésimo custodiebâtur cum Felíce Confessôre, & Júlia Vírgine, aliisque Deum timéntibus. Adeò síquidèm ejus viri boni præcéptis Eulália sitiénter adhæsit, ut non Christiános solùm exáctè ritus servâret, verùm dari sibi occasiônem expéteret, qua per martyrium posset ad cælum evolâre. Audiens autem, Daciânum multos Christianôrum torméntis affícere ob Christi nomen, egréssa domo nocte pédibus per ínvia pergens, unà cum Júlia sibi convirgináli, (quæ étiam eôdem die martyrium passa est) in civitâtem devênit.

℟. Audiens Eulália sævítiam tyránni, & Christianôrum cruciâtus, latíbula perôsa noctu septa, cláustraque fugax áperit, & iter ingréditur per ínvia, & vépribus oblîta loca, * Angélico tamen comitâta choro, & luce cælitùs demíssa. ℣. Hæc est Vírgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invênit: lucérna pédibus meis verbum tuum, & lumen sémitis meis. Angélico.

Lectio v.

Civitâtem autem ingréssa, ad tribûnal Calphurniáni, quem Legâtum in urbe Eméríta Daciânus relíquerat accédens, increpâre cœpit illîus sævítiam, & insániam: quòd Deum verum coléntes suplíciis vexâret, & dæmonum simulácra cólere fáceret. Quam Præses áudiens, primùm verbis demulcêre aggréditur, ne in ténera ætâte (tértium décimum enìm annum agêbat) vitam pérdere vellet. Adhortabâtur étiam, ut diis incénsum adolêret. Quod beâta Virgo rénuens, fústibus cæditur, & úngulis ab utrôque látere, usque ad ossa dilaniâtur. In quo torménto Virgo læto ore notas númerans, in hæc verba prorûpit: Scríberis ecce mihi Dómine: quàm juvat hos ápices légere, qui tua Christe, trophæa notant, nonénque tuum elíciti sánguinis púr-

púrpura lóquitur.

℟. Beâta Eulália lætíssimè, & constánter festinâbat ad martyrium: * Quasi ad épulas invitâta: & agônem suum Dómino précibus commendâbat. ℣. Nobílibus natálibus ab ignóbili gaudens trahebâtur ad martyrium. Quasi ad épulas.

Lectio. VI.

Ad hæc insániens Præses jussit eam collo tenus in vivam calcem immérgi, aqua super infúsa, ipsámque Vírginem liquefácto plumbo perfúndi. Verùm cùm nec ardor ille Euláliæ nocêret, novíssimè in equúleo exténditur ardéntibus fácibus, lampadibúsque látera ejus aduruntur, quarum flammam in caput, & fáciem involitantem Virgo apérto ore hausit. Unde progrédiens colúmba candidíssima, in cælum, spectántibus cunctis, evolâvit quarto Idus Decémbris. Lictóribus autem fugiéntibus, sancto córpore in equúleo relícto, magna nivis cópia descéndit, quæ forum, corpúsque virgíneum vice líntei cándidi tegêbat. Inde clam à Christiánis ablâtum sepultúræ tráditum est, ut in Hispaniârum devastatiône à Saracénis in Ovet énsem Ecclésiam translâtum est: ubi magna cum veneratiône cólitur. Eámque Urbânus Octâvus Póntifex Máximus in Patrônam perpétuam dicti Episcopâtus Oveténsis concéssit anno Incarnatiônis Dómini millésimo sexcentésimo trigésimo nono.

℟. Ad passiônem dicta Eulália tyránno dixit: Quid perséqueris Christiános, & níteris in vanum pérdere Vírginem Dei? * Dóminus me docet in veritâte sua: ídeò non sedúces adolescéntiam meam. ℣. Ego annôrum sum trédecim, putásne ætâtem meam tuo posse terrôre turbári? Dóminus. Glória Patri. Dóminus me docet.

In Láudibus fit com. Fér. sed non de Octáva Conceptiônis, *nec de* S. Melchíade Pap. & M.

In secúndis Vésperis ómnia ut in primis, præter sequéntia.

℣. Diffûsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat.

Aña. Ad conspéctum colúmbæ prodeúntis ab ore beátæ Euláliæ pávidi fúgiunt lictôres.

res, relícto corpúsculo nudo, quod nix è cælo súbito demíssa, vice lintéoli candidíssimi oppéruit.

ORATIO.

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma, &c. *ut suprà.*

Deinde fit com. S. Dámasi Papæ, & Conf. *& Fériæ.*

Missa. Loquêbar *de commúni Virg. & Mm. cum oratiône officii.* Credo, Præf. B. M. V. *com. Fér.*

DIE XII. DECEMBRIS.

Hódie fit de Festo Translatiônis Almæ Domus Beátæ Maríæ Vírginis, dup. majus *in Hispánia: dies x. hujus, ut in Breviário in própriis SS. Hispán. Nihil de Conceptiône, com.* S. Euláliæ, & Fériæ *in Láudibus & Missa.* Credo; Præf. B. M. V. Et te in festivitâte.

DIE XIV. DECEMBRIS.

Si non occúrrat áliquod Festum dup. translâtum, fit de Infraoctáva Conceptiônis B. M. V. sem. *ut in VII. die.*

DIE XV. DECEMBRIS.

Octâva Conceptiônis B. M. V. dup. *ut in Breviário in próp. SS. Hisp. vel in córpore. Com.* S. Euláliæ, & Fériæ. *Post secúndas Vésperas hujus diéi terminâtur Octâva* S. Euláliæ, *& nihil ámpliùs fit de ea: & sic quævis ália Octâva.*

Homilîa dicénda in Matutínis in festis unîus Mártyris non Pontíficis, quando in eis dícitur Missa: In virtûte tua.

Léctio S. Evangélii secúndùm Matthæum.

Cáp. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolîte arbitrári, quia vénerim pacem míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilîa Sancti Hierónymi Presbyteri.

Libro 1. in Matth. cap. 10.

LECTIO VII.

Suprà díxerat: Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine; & quod in aure audîtis, prædicâte super tecta: nunc infert, quid post prædicatiônem sequâtur. Ad fidem Christi totus orbis contra se divîsus est: unaquæque domus & infidéles & credéntes hábuit, & proptérea bellum missum est bonum, ut rumperêtur pax mala. Tale quid in Génesi advérsus rebélles hómines, qui moti fúerant de Oriénte, & turrim extrúere festinábant, per quam cæli alta penetrárent, fecísse scríbitur Deus, ut divíderet linguas eôrum.

℟. Corôna áurea.

LECTIO VIII.

Veni enìm separâre hóminem advérsus patrem suum. Hic locus prope iísdem verbis Michæa Prophéta scríbitur. Et notándum, ubicúmque de véteri testaménto testimónium pónitur, utrum sensus tantùm, an sermo conséntiat. Qui amat patrem aut matrem plusquàm me, non est me dignus. Qui ante præmísserat: Non veni pacem míttere, sed gládium, & divídere hómines advérsus patrem & matrem, nurum & socrum; ne quis pietâtem religióni anteférret, subjêcit dicens: Qui amat patrem aut matrem plusquàm me. Et in Cántico légimus canticôrum: Ordinâvit in me caritâtem. Hic ordo in omni afféctu necessárius est: ama post Deum patrem, ama matrem, ama fílios.

℟. Hic est verè Mártyr.

LEC-

Lectio ix.

Ordo pulchérrimus: ad prædicatiônem mittit, docet perícula non timénda, affé-ctum súbjicit religióni. Aurum supra túlerat, æs de zona excússerat: dura Evangelistârum condítio. Unde ergo sumtus, unde victus necessária? Austeritâtem mandatôrum spe témperat promissôrum. Qui récipit, ínquiens, vos, me récipit: & qui me récipit, récipit eum, qui me misit: ut in suscipiéndis Apóstolis unusquísque credéntium, se suscepísse arbitrêtur.

Te Deum laudâmus, &c.

MISSA PROPRIA
IN FESTO
SANCTI ELIÆ PROPHETÆ.

Introitus.

Die xxvii. Februárii.

Zelo zelâtus sum pro Dómino Deo exercítuum, dixit Elías ad Dóminum, quia dereliquérunt pactum tuum fílii Israël, Altária tua destruxérunt, Prophétas tuos occidérunt gládio: derelíctus sum ego solus, & quærunt ánimam meam, ut áuferant eam.

Psalm. Exaltâbo te Dómine, quóniam suscepísti me: nec delectásti inimícos meos super me. ℣. Glória Patri, &c. Zelo zelâtus, &c.

Glória in excélsis Deo.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui Beâtum Elîam Prophêtam tuum ígneo curru mirabílitèr elevâtum esse crédimus, eôdem interveniénte ad cæléstia sublevêmur, & Sanctôrum tuôrum consórtio gaudeâmus. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Surréxit Elías Prophêta, quasi ignis, & verbum illîus, quasi fácula ardêbat. Qui indúxit in pópulos famem, & irritántes illum invídia sua pauci facti sunt: non enim póterant sustinêre præcépta Dómini. Verbo Dómini continuit cælum, & dejêcit de cælo ignem ter; sic amplificâtus est Elías in mirabílibus suis: & quis potest similitèr sic gloriári tibi? Qui sustulísti mórtuum ab ínferis de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui dejecísti Reges ad perníciem, & confregísti fácilè poténtiam ipsôrum, & gloriósos de lecto suo. Qui audis

dis in Sina judícium, & in Horeb judícia defensiônis. Qui ungis Reges ad pœniténtiam, & Prophétas facis successôres post te. Qui recéptus es in túrbine ignis, in curru equôrum igneôrum: qui scriptus es in judíciis témporum lenîre iracúndiam Dómini, conciliâre cor patris ad fílium, & restitúere Tribus Israël.

Graduâle. Factum est, cum levâre vellet Dóminus Elîam per túrbinem in cælum, ibant Elías, & Elisæus de Gálgalis.

℣. Cumque incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus & equi ígnei divisérunt utrúmque; & ascéndit Elías per túrbinem in cælum. Allelúia, allelúia.

4 Reg. 2.

℣. Elías cum zelat zelum legis, recéptus est in cælum. Allelúia.

Mach. 2.

Sequéntia S. Evangélii secúndùm Matthæum.

In illo témpore: Assúmsit Jesus Petrum, & Jacôbum, & Joánnem fratrem ejus, & duxit illos in montem excélsum seórsùm: & transfigurâtus est ante eos. Et resplénduit fácies ejus sicut sol: vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuérunt illis Móyses, & Elías cum eo loquéntes. Respondéns autem Petrus dixit ad Jesum: Dómine, bonum est nos hîc esse: si vis, faciâmus hîc tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, & Elíæ unum. Adhuc eo loquénte, ecce nubes lúcida obumbrâvit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus diléctus, in quo mihi benè complácui: ipsum audîte. Et audiéntes discípuli cecidérunt in fáciem suam, & timuérunt valdè. Et accéssit Jesus, & tétigit eos, dixítque eis: Súrgite, & nolîte timêre. Levántes autem óculos suos, néminem vidérunt, nisi solum Jesum. Et descendéntibus illis de monte, præcêpit eis Jesus dicens: Némini dixerîtis visiônem, donec Fílius hóminis à mórtuis resúrgat. Credo.

Offertórium. Elías homo erat símilis nobis passí-

síbilis, & oratiône orâvit, ut non plúeret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex; & rursùm orâvit, & cælum dedit plúviam, & terra dedit fructum suum.

Secreta.

Offérimus tibi, Dómine, hóstiam laudis in honôrem Sancti Elíæ Prophétæ tui, & sicut tu holocáusto suo adfuísti, ita sacrifícium nostrum suscípere dignêris, ut per illum ad ætérnam mereâmur pervenîre lætítiam. Per Dóminum.

Commúnio. Ecce mittam vobis Eliam Prophêtam, antequàm véniat dies Dómini magnus, & horríbilis, & convértet cor patrum ad fílios, & cor filiôrum ad patres eôrum.

Postcommunio.

Deus, qui per Sanctum Angelum tuum beáto Elíæ Prophétæ tuo cibum, & potum tribuísti: ipso interveniénte concêde, ut quæ de cæléstì mensa percépimus, sincéris méntibus illibâta servêmus. Per Dóminum nostrum.

Approbâta à Sacr. Rit. Congregatiône pro Regno Bósnia die XXVI. *Augústi* M.DCC.LII. *& die* I. *Augústi* M.DCC.LXVII. *à Sanctíssimo Dño. nostro* Clemente Papa XIII. *concéssa ómnibus peculiáritèr peténtibus, ad instántiam P. Magistri Joséphi Albérti Ximénez, Procuratôris Generâlis totîus Ordinis Fr. Carmelitârum Antíquæ Regulâris Observántiæ, ut constat ex Decrétis ejúsd. Sacr. Rít. Congregatiônis.*

IN

IN FESTO
SS. RELIQUIARUM
OVETENSIUM.

Introitus.

Die xiii. Martii.

Gaudeâmus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honôre Sanctôrum istôrum: de quorum solemnitâte gaudent Angeli, & collâudant Fílium Dei.

Psalm. Exsultâte justi in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Propitiâre, quæsumus Dómine, nobis fámulis tuis per horum Sanctôrum tuôrum, (quorum Relíquiæ in hac continéntur Ecclésia), mérita gloriôsa, ut eôrum pia intercessiône ab ómnibus semper muniâmur advérsis. Per Dóminum.

Et fit commemorátio fériæ Quadragésimæ, vel Domínicæ II. III. *aut* IV. *ejúsdem, si occúrrit in quálibet eárum.*

Léctio Epístolæ Beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Fratres: exibeâmus nosmetípsos, sicut Dei minístros, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitâte, in sciéntia, in longanimitâte, in suavitâte, in Spíritu Sancto, in caritâte non ficta, in verbo veritâtis, in virtûte Dei. Per arma justítiæ à dextris, & à sinístris. Per glóriam, & ignobilitâtem: per infámiam, & bonam famam: ut seductóres, & veraces: sicut qui ignóti, & cógniti: quasi moriéntes, & ecce vívimus: ut castigáti, & non mortificá-

cáti: quasi tristes, semper autem gaudéntes: sicut egéntes, multos autem locupletántes: tanquam nihil habéntes, & ómnia possidéntes.

Graduâle. Timête Dóminum omnes Sancti ejus: quóniam nihil deest timéntibus eum. Inquiréntes autem Dóminum non defícient omni bono.

Tractus. Qui séminant in lácrymis, in gáudio metent.

℣. Euntes ibant, & flebant, mitténtes sémina sua.

℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatiône portántes manípulos suos.

Sequéntia S. Evangélii secúndùm Matthæum.

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem; & cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, & apériens os suum docêbat eos, dicens: Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsôrum est regnum cælôrum. Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt, & sítiunt justítiam, quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes, quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiônem patiúntur propter justítiam, quóniam ipsôrum est Regnum cælôrum. Beáti estis, cum maledíxerint vobis, & persecúti vos fúerint, & díxerint omne malum advérsùm vos, mentiéntes, propter me: gaudête, & exsultâte, quóniam merces vestra copiôsa est in cælis. *Credo.*

Offertórium. Justôrum ánimæ in manu Dei sunt, & non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace.

SECRETA.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiônis offérimus: quæ & pro cunctôrum istôrum tibi grata sínt honôre justôrum, & nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum nostrum.

De Féria, vel Domínica, ut suprà ália Secrêta.

Præfátio de Quadragésima, vel de Passiône, si occúrret, vel fiat de hoc festo post Domínicam Passiônis.

Commúnio. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiônem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsôrum est Regnum Cælôrum.

POSTCOMMUNIO.

Da quæsumus, Dómine, fidélibus pópulis, ómnium istôrum Sanctôrum semper veneratiône lætári, & eôrum perpétua supplicatiône muníri. Per Dóminum nostrum.

De Féria, vel Domínica, ut suprá ália Postcommúnio.

Evangélium últimum Fériæ, vel Domínicæ II. III. IV. Quadragésimæ: si in áliqua occúrrit eârum.

Si hoc festum occúrrat in Domínica prima Quadragésimæ, vel Passiônis, transfértur in próximum sequéntem diem.

MISSA
CORONÆ DOMINI.

Die iv. Maii. In Festo *Corónæ Dómini nostri Jesu Christi.*

Introitus.

Humiliâvit semetípsum Dóminus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltâvit illum, & donâvit illi nomen, quod est super omne nomen, allelúja, allelúja.

Psalm. Misericórdias Dómini in ætérnum cantâbo: in generatiônem, & generatiônem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Præsta, quæsumus Omnípotens Deus, ut qui in memóriam Passiônis Dómini nostri Jesu Christi, Corônam ejus spíneam venerâmur in terris: ab ipso glória & honôre coronári mereâmur in cælis. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Léctio Zacharíæ Prophétæ.

Hæc dicit Dóminus: Effúndam super domum David, & super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ, & precum: & aspícient ad me, quem confixérunt: & plangent eum planctu, quasi super unigénitum: & dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Jerúsalem, & dicêtur: Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuârum? Et dicet: His plagâtus sum in domo eôrum, qui diligébant me. Frámea suscitâre super pastôrem meum, & super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum: pércute pastôrem, & dispergéntur oves, ait Dóminus Omnípotens.

Allelúja, allelúja. ℣. Ave Rex noster: tu solus nostros es miserâtus

tus errôres: Patri obédiens, ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansuêtus ad occisiônem. Allelúja. ℣. Tibi glória, hosánna: tibi triúmphus, & victória: tibi summæ laudis, & honôris corôna, allelúja.

Extra tempus Paschâle dícitur:

Graduâle. Impropérium exspectâvit cor meum, & misériam: & sustinui, qui simul mecum contristarêtur, & non fuit: consolántem me quæsívi, & non invéni. ℣. Dedérunt in escam meam fel, & in siti mea potavérunt me acéto. Allelúja, allelúja. ℣. Ave Rex noster: tu solus nostros es miserâtus errôres. Patri obédiens ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansuêtus ad occisiônem, allelúja.

Post Saptuagésimam, omísso allelúja, *&* ℣. *sequénti, dícitur*

Tractus. Verè languóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portâvit.

℣. Et nos putávimus eum quasi leprôsum, & percússum à Deo, & humiliâtum. ℣. Ipse autem vulnerâtus est propter iniquitátes nostras, attrîtus est propter scélera nostra. ℣. Disciplîna pacis nostræ super eum: & livôre ejus sanáti sumus.

Sequéntia S. Evangélii secúndùm Joánnem.

In illo témpore: Aprehéndit Pilâtus Jesum, & flagellâvit: & mílites plecténtes corônam de spínis imposuérunt cápiti ejus: & veste purpúrea circumdedérunt eum. Et veniébant ad eum, & dicébant: Ave Rex Judæôrum; & dabant ei álapas. Exîvit íterum Pilâtus foràs, & dicit eis: Ecce addûco eum vobis foràs, ut cognoscâtis, quia nullam invénio in eo causam. (Exîvit ergo Jesus portans corônam spíneam, & purpúreum vestiméntum) Et dicit eis: Ecce homo. *Dícitur* Credo.

Offertórium. Insurrexérunt in me viri iníqui: absque misericórdia quæsiérunt me interfícere: & non pepercérunt in fáciem meam spúere: lánceis suis vulne-

nceravérunt me, & concússa sunt ómnia ossa mea, allelúia.

Secreta.

Oblâtum tibi, Dómine, sacrifícium intercedénte unigéniti Fílii tui passiône, vivíficet nos semper, & múniat. Qui tecum vivit, & regnat.

Præfátio de Cruce.

Commúnio. Fodérunt manus meas, & pedes meos: dinumeravérunt ómnia ossa mea, allelúia.

Postcommunio.

Dómine Jesu Christe, Fíli Dei vivi, qui hora sexta pro redemptiône mundi Crucis patíbulum ascendísti, & sánguinem tuum pretiôsum in remissiônem peccatôrum nostrôrum fudísti: te humíliter deprecâmur, ut post óbitum nostrum paradísi jánuas nos gaudéntèr introîre concédas. Qui vivis & regnas.

MISSA
IN FESTO
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS
SUB TITULO
DE GUADALUPE.

Die xvi. Júnii.

Introitus.

Sedulius. Salve sancta parens, eníxa puérpera Regem: qui cælum, terrámque regit in sæcula sæculôrum.

Psalm. 44. *Psalm.* Eructâvit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui sub beatíssimæ Vírginis Maríæ singulári patrocínio constitútos perpétuis benefíciis nos cumulári voluísti: præsta supplícibus tuis, ut cujus hódie commemoratiône lætâmur in terris, ejus conspectu perfruâmur in cælis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl. 24. c. Ego quasi vitis fructificávi suavitâtem odôris: flores mei, fructus honôris, & honestâtis: Ego mater pulchræ dilectiônis, & timôris, & agnitiônis, & sanctæ spei. In me grátia omnis viæ, & veritâtis, in me omnis spes vitæ, & virtûtis. Transîte ad me omnes qui concupíscitis me, & à generatiónibus meis impléмini: Spíritus enìm meus super mel dulcis, & heréditas mea super mel, & favum: Memória mea in generatiónes sæculôrum. Qui edunt me, adhuc esúrient; & qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundêtur: & qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vi-

vitam ætérnam habébunt.

Cánt. 6. c. *Graduâle.* Quæ est ista, quæ progréditur quasi aurôra consúrgens, pulchra ut luna, eléćta Eccl. 50. ut sol? ℣. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, & quasi flos rosârum in diêbus vernis. Cánt. 2. c. Allelúja, allelúja. ℣. Flores apparúerunt in terra nostra, témpus putatiônis advênit. Allelúja.

Sequéntia S. Evangélii secúndùm Lucam.

Lucæ. 1. d. In illo témpore: Exsúrgens Marîa, ábiit in montâna cum fesinatiône in civitâtem Juda: Et intrâvit in domum Zacharíæ, & salutâvit Elísabeth. Et factum est, ut audîvit salutatiônem Maríæ Elísabeth, exsúltâvit infans in útero ejus: & replêta est Spíritu Sancto Elísabeth, & exclamâvit voce magna, & dixit: Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim út facta est vox salutatiônis tuæ in áuribus meis, exsultâvit in gáudio infans in útero meo. Et beâta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi à Dómino. Et ait Marîa. Magníficat ánima mea Dóminum: & exsultâvit spíritus meus in Deo salutári meo. Credo.

Offertórium. Elégi, 1. Paral. 7. c. & sanctificávi locum istum, ut sit ibi nomen meum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diêbus.

Secreta.

Tua, Dómine, propitiatiône, & beátæ Maríæ semper Vírginis intercessiône, ad perpétuam, atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitâtem, & pacem. Per Dóminum.

Præfácio. Et te in Festivitâte.

Commúnio. Non fe- Psalm. 147. cit tálitèr omni natiôni: & judícia sua non manifestâvit eis.

Post-

Postcommunio.

Sumtis, Dómine, salûtis nostræ subsídiis: da quæsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubîque prótegi, in cujus veneratiône hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Suffrágia, seu commemoratiónes Sanctôrum, quæ dicúntur in hac Diœcési Oveténsi ad Vésperas, & ad Laudes in diêbus non duplícibus, nec Infraoctávas, ab Octáva Epiphaníæ exclusívè, usque ad primas Vésperas Domínicæ Passiònis étiam exclusívè: Et à Domínica SSmæ. Trinitâtis, usque ad primas Vésperas Domínicæ primæ Advéntus, simílitèr exclusívè.

Commemorátio de Cruce, dicénda in Officio feriáli tantùm.

Ad Vésperas & Laudes, Aña. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos Deus noster.

℣. Omnis terra adôret te, & psallat tibi.

℟. Psalmium dicat nómini tuo, Dómine.

OREMUS.

Perpétua nos, quæsumus Dómine, pace custódi: quos per lígnum Sanctæ Crucis redímere dignâtus es.

DE SANCTO SALVATORE.

Ad Vésperas, Aña. Christus Jesus spléndor Patris, & figúra substántiæ ejus, portans ómnia Verbo virtûtis suæ, purgatiônem peccatôrum fáciens, in monte excélso gloriôsus apparêre dignâtus est.

℣. Gloriôsus apparuísti in conspéctu Dómini.

℟. Proptérea decôrem índuit te Dóminus.

Ad Laudes, Aña. Et ecce vox de nube dicens: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácui, ipsum audîte, Allelúia.

℣. Corôna áurea super caput ejus.

℟. Expréssa signo sanctitâtis, glóriæ, & honôris.

OREMUS.

Deus, qui Fídei sacraménta in Unigéniti tui gloriósa Transfiguratiône Patrum testimónio roborásti, & adoptiônem filiôrum

rum perféctam voce delápsa in nube lúcida, mirabíliter præsignásti: concêde propítius, ut ipsîus Regis glóriæ nos coherédes efficias, & ejúsdem glóriæ tríbuas esse consórtes.

De Sancta Maria.

Ad Vésperas, & Laudes, Aña. Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo intérveni pro Clero, intercêde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvâmen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiônem.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei génitrix.

℟. Ut digni efficiâmur promissiónibus Christi.

Oremus.

Concêde nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis & córporis sanitâte gaudêre, & gloriósa Beátæ Maríæ semper Vírginis intercessiône à præsénti liberári tristítia, & ætérna pérfui lætítia.

Ab Octáva Epiphaníæ usque ad Purificatiônem dicitur:

℣. Post partum Virgo inviolâta permansísti.

℟. Dei génitrix intercêde pro nobis.

Oremus.

Deus, qui salûtis ætérnæ Beátæ Maríæ Virginitâte fœcúnda humáno géneri præmia præstitísti: tríbue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiâmus, per quam merúimus auctôrem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

De Apostolis.

Ad Vésperas, Aña. Petrus Apóstolus, & Paulus Doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam Dómine.

℣. Constítues eos Príncipes super omnem terram.

℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Ad Laudes, Aña. Gloriósi Príncipes terræ, quómodò in vita

ta sua dilexérunt se, ĩta & ĩn morte non sunt separátĩ.

℣. In omnem terram exîvit sonus eôrum.

℟. Et in fines Orbis terræ verba eôrum.

Oremus.

Deus, cujus déxtera Beâtum Petrum ambulántem ĩn flúctĩbus ne mergerêtur eréxit, & Coapóstolum ejus Paulum tértio naufragántem de profúndo pélagi liberâvit: exáudi nos propítius, & concêde, ut ambôrum méritis æternitâtis glóriam consequâmur.

De Sancto Jacobo.

Ad Vésperas, *Aña.* O Beâtum Apóstolum, qui ĩnter prĩmos eléctus, primus ómnium Apostolôrum Dómini cálicem bĩbere méruit! O gloriôsum Hispániæ regnum tali pígnore, ac Patróno munîtum, per quem fecit illi magna, qui potens est. Allelúia.

℣. Anuntiavérunt ópera Deĩ.

℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Laudes, Aña. Visitâvit nos per sanctum suum Apóstolum, & fecit salûtem de inimícis nostris Dóminus Deus noster. ℣. Anuntiavérunt &c.

Oremus

Esto Dómine plebi tuæ sanctificâtor, & custos: ut beátĩ Jacóbi Apóstoli tui munîta præsídiis, & conversatiône tibi pláceat, & secúra mente desérviat.

De Sancta Eulalia Patrona.

Ad Vésperas, *Aña.* Ad conspéctum colúmbæ prodeúntis ab ore beátæ Euláliæ pávidi fúgiunt lictóres, relícto corpúsculo nudo, quod nix è cælo súbitò demíssa vice lintéoli candidíssimi opéruit.

℣. Diffûsa est grátia in lábiis tuis.

℟.

℟. Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

Ad Laudes, *Aña.* Beâta Eulália dùm lampádibus ardéntibus urerêtur, Prætóri dixit: Assum est jam corpus meum, jube sale conspérgi; ne cæléstí Sponso insípidum præpares holocáustum. ℣. Diffûsa est grátia, &c.

OREMUS.

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: da nobis in commemoratiône Sanctæ Virginis & mártyris tuæ Eulâliæ cóngrua devotiône gaudêre; ut & poténtiam tuam in ejus passiône laudêmus, & promíssum nobis percipiâmus auxílium.

De Tituléri Ecclésiæ, vel Cappéllæ fiet commemorátio consuêta, ante vel post prædíctas commemoratiónes, pro dignitâte illîus, & último loco sequéns.

DE PACE.

Ad Vésperas & Laudes, *Aña.* Da pacem Dómine in diêbus nostris, quia non est álius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

℣. Fiat pax in virtûte tua.

℟. Et abundántia in túrribus tuis.

OREMUS.

Deus, à quo sancta desidéria, recta consília, & justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem, ut & corda nostra mandátis tuis dédita, & hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectiône traquílla. Per Dóminum nostrum, &c.

Hora recitándi extra Chorum Matutînum cum Láudibus pro die sequénti, quando Sol est propínquior ad occâsum, quàm ad merídiem, & pro dignoscénda hora, qua possit hoc fieri, pródiit tabélla impréssa Romæ in Breviário novíssimè Typis dato, ex comissiône S. R. C. revíso, Privilegiôque summi Pontíficis approbáto, quæ pro Hispánia ad horas horológii nostri accomodâta, sic se habet.

A die 1. Januárii usque ad 20.ejúsdem, potest recitári Matutînum hora 2. cum dimídia.
A 21. Januárii usque ad 24.Februárii, hora 2. cum 3. quadr.
A 25. Februárii usque ad 17. Mártii, hora 3.
A 18. Mártii usque ad 3. Aprîlis, hora 3. cum quadránte.
A 4. Aprîlis usque ad 20. ejúsdem, hora 3. cum dimídia.
A 21. Aprîlis usque ad 31. Máii, hora 3. cum 3. quadránt.
A 1. Júnii usque ad 31. Július, hora 4.
A 1. Augústi usque ad 20. ejúsdem, hora 3. cum 3. quadr.
A 21. Augústi usque ad 6. Septémbris, hora 3. cum dimídia.
A 7. Septémbris usque ad 23. ejúsdem, hora 3. cum 1. quadr.
A 24. Septémbris usque ad 19. Octóbris, hora 3.
A 20. Octóbris usque ad 17. Novémbris, hora 2. cum 3. quadránt.
A 18. Novémbris usque ad 14. Decémbris, hora 2. cum dimídia.
A 15. Decémbris usque ad 31. ejúsdem, hora 2. cum 1. quadr.

Tabélla, in qua notántur horæ in quibus incipit Aurôra, in cujus princípio inchoári potest Missa privâta, vel paulò ante, dúmmodò possit finíri postquam Aurôra incépta sit.

A die 23. Januári usque ad 8. Februárii íncipit Aurôra hora 5. cum dimídia.
A 9. Februárii usque ad 21. ejúsdem, hora 5. cum 1. quadr.
A 22. Februárii usque ad 5. Mártii, hora 5.
A 6. Mártii usque ad 17. ejúsdem, hora 4. cum 3. quadr.
A 18. Mártii usque ad 27. ejúsdem, hora 4. cum dimídia.
A 28. Mártii usque ad 6. Aprîlis, hora 4. cum quadránte.

A

A 7. Aprîlis usque ad 15.ejúsdem, hora 4.
A 16. Aprîlis usque ad 26. hora 3. cum 3. quadránt.
A 27. Aprîlis usque ad 5. Máii, hora 3. cum dimídia.
A 6. Máii usque ad 15. hora 3. cum quadránte.
A 16. Máii usque ad 27. ejúsdem, hora 3.
A 28. Máii usque ad 7. Júnii, hora 2. cum 3. quadránt.
A 8. Júnii usque ad 16. hora 2. cum dimídia.
A 17. Júnii usque ad 28. hora 2. cum 3. quadránt.
A 29. Júnii usque ad 7. Júlii, hora 3.
A 8. Júlii usque ad 16. Agústi, hora 3. cum quadránt.
A 17. Augústi usque ad 27. hora 3. cum dimídia.
A 28. Augústi usque ad 9. Septémbris, hora 3. cum 3. quadránt.
A 9. Septémbris usque ad 15. ejúsdem, hora 4.
A 16. Septémbris usque ad 26. hora 4. cum quadránte.
A 27. Septémbris usque ad 8. Octóbris, hora 4. cum dimídia.
A 9. Octóbris usque ad 20. hora 4. cum trib. quadránt.
A 21. Octóbris usque ad 2. Novémbris, hora 5.
A 3. Novémbris usque ad 20. hora 5 cum quadránte.
A 21. Novémbris usque ad 22. Decémbris, hora 5. cum dimídia.
A 23. Decémbris usque ad 22. Januárii, hora 5. cum tribus quadrántibus.

Cabero